BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 K
5

14

12
14
a
4

Digitized by Google

THERMOLOGIA ARAGONIA,

SIVE

HISTORIA NATVRALIS THERMARVM

In Occidentali Campaniæ ora inter Pausilippum, & Misenum Scatentium, iam Æui iniuria deperditarum,

&

PETRI ANTONII AB ARAGONIA

Studio, ac munificentia restitutarum,

Vbi eruditè disseritur de Pyrosophia, & Hydrosophia Arcanis, origine Fluminum, incremento Nili, Aestu Maris, exalationibus terræ, ac insuper de Calore, & Luce non vulgariter philosophatur,

AVTHORE

SEBASTIANO BARTOLO

In Neapolitano Gymnasio Philosophiæ, & Anatomiæ professore primario,

opus posthumum recensitum à Michaele Blancardo Philosoph. ac Medic. Doct. Authoris disciplina Alumno.

Tomus Primus.

Neap. Ex Typographia Nouelli de Bonis 1679.
Superiorum facultate.

Pertines ad Bibliothecam S. Francisci Transtiberim. 1716.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12. 8. K 5

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

DOMINO

D. PETRO ANTONIO RAYMVNDO FOLCH DE CARDONA,

OLIM DE ARAGONIA;

DVCI SEGORBIÆ,

ET CARDONÆ, &c.

Michael Blancardus ſalutem plurimam dicit.

IN tui patrocinium Nominis innata quadam propenſione, ſuoque niſu Liber hic ire geſtit, Ecellentiſſime Princeps,

nèque tuæ protectionis gratiam expoſtulaturus accedens, puſillitatem ſuam quicquam extimeſcere debet; quin etiam, vt magnus euadat, in tuæ magnitudinis brachijs de ſua cõgaudet paruitate, in qua vix natus orbatus Parente remanſit, quique poſthumus hanc lucem ſe contigiſſe comperiens, ſuoque iam genitori parentare renuens aliter, ni quam accepit, eidem lucis vicem perenninet; iure meritò tuæ magnitudinis vmbram affectare videtur: nouit enim, quam feliciter ſub Excellentiſſimi Domini Petri de Aragonia nominis vmbra mortis obliuio tumulauerat; nouit, quam præſtanter tua in Domo auri fulgore reluceant ſuis cum genitoribus in tenebris parta ſapientium ſtudia: nouit denique quam nihil interſit tibi ſiſti,

at-

atque æternitati ſacrari; cuius veluti in baſem ipſemet electus aſſumptus eſſe videris. Quid enim tua non eſt architectata Potẽtia, quod non æternitatem proclamet? Silet ſtuporis põdere preſſa Parthenopea Ciuitas ab tua magnificentia Demirata in ſe Romanæ Vrbis præteritorum Principum excitata Faſtigia, atq; iſtorum ornatum: teque veluti ex illis veteribus vnum aliquem ſibi adfuiſſe, qui Parentis vicem erga ipſam aſſumpſeris ſuper cunctos, qui huius Imperij habenas prò Hiſpaniarũ Rege equũ aſcendentes Parthenopeum ſuſcepere primates; vno dumtaxat in hoc ab Romanis Ducibus illa te diſcretum agnoſcit, quod magnificentiam tuam pietati magis, quàm voluptati deſeruire feciſti. Etenim quis non videt

nil tuam molitam eſſe magnificentiam, quod etiam pietatis ſpecimen non præſeferat, atque vt cætera Sileam, quæ in hac Vrbe magnificam tuam pietatem, amoremque eommendant, atque propalant; Pauperum Xenodochia, Virginum Eremitarum Cœnobia ſub Deiparæ auſpicijs, Lucullam in vertice Montis Belligera Arx, Vrbis non minus præſidium, quàm hoſtibus terror, plurima, atque alia innumerabilia, quæ mentem meam penitùs obruunt multitudine; omnia magnis erecta ſumptibus magnificentiæ tuæ, pietatis creberrima argumenta, quæ oculis ſpectãda dediſti. Vnum de te ſilere haud potero in tantum tua excreuit cum pietate magnificentia, vt Ciuitas hęc illud de te teſtari valeat, vllis vnquã

prę-

prçteritis ſe vidiſſe temporibus, aut vix futuris viſuram ſe credat, in rebus magnis agrediendis, ac perficiédis magnificentiorem, ſuique amoris flagrantiorem; cuius veluti quibuſdã ſtimulis tuum pectus exagitatum ad noua ſemper beneficia tuam excitauit magnificentiam; Parumque iam Pauperum Parentem adeſſe exiſtimari affecerat, quod & languentium Pater, vt efficereris euocauit. Quodque vt præſtares, mirum eſt, Excellentiſſime Princeps; quæ tuo ſugeſſit ingenio perpatranda ad magnificentiæ tuæ facinora. Nimirum Puteolanas ad oras magnum illud Neapolitanç Vrbi prçſtitum à natura aquarum Theſaurum in Letheum veluti gurgitam incuria prçteritorum Principũ verſum in priſtinum erexit ſplen-

dorem tua prępotens manus: Quo nõ iam voluptatem, ſed ſalubritatem corporibus redemiſti; Illud nempè crediderim æmulari maluiſti in hoc, Excellentiſſime Princeps, Orientis Imperatorem, cuius quoque nomine decorabaris, atque animum ſuperaſti, qui pereruta mõtium viſcera ad Romanę Vrbis ſolatium lympharum copias ducens primus omnium ſuper bifica thermarum conſtruxit faſtigia. Sed quam longè abs tuæ charitatis, ſuperba illa, vanaque oſtentatio ædificiorum luxuriantibus aquis mancipata ſeruitio voluptuoſæ Romanitatis; quam longè inclitum Aragonium nomen ſplendidiùs relucet Baiarum, Puteolique thermarum faſtigijs ſuper cunctas inibi conſtructas ab Cæſaribus pompeis, Auguſtiſque inſa-

nas

nas illas architecturæ Moles,quæ veluti tuæ gestiunt dare magnificentiæ plausum;dum diruta ipsarum cadauera, adhuc prona tuorum ædificiorum magnitudinem admirari nec minus, quam venerari videntur ; ipsisque magis istud inuidere, quod à tuo nomine celsitudinem aucuparint,quã quod ab artis magisterio;magis,quod inibi saluberrima aquarum fluenta perenni seruent in speculo, semperque tuam demirari tribuent charitatis magnificentiam; Cuius eousque peruenit ingenium, vt cum tibi tot, tantisque beneficijs Neapolitanam obstrinxeris Vrbem, pro quibus sin minus referre agere quodammodo gratias videbatur silentiaria quadam admirationis commendatione ; iam nunc penitùs obruat tuorum benefi-

cio-

ciorum altius creſcente mole depreſ-
ſa. Siquidem nedum bona tua, verùm
etiam, quod proprium ipſa tua effice-
re potuit Excellentia Charitatis, ſuo-
rum Ciuium inæſtimabile Vitæ The-
ſaurum Tibi debere fatetur. Quippè-
qui nedum maris infortunijs, aëriſ-
que procellis periclitantibus Regij
Palatij ad pedes incolumem, tutum-
que Aſilum aperuiſſe contentus, quo
ipſimet Aridè ſtuporem inferre po-
tuiſti, in liquidum ſe verſa demirata
Elementum; quo vel omnium ſentē-
tiam, expectationemque viciſti; ve-
rùm etiã ineuitabili mortalitatis Fa-
to in terris occurrere voluiſti, obli-
uione ſepultũ multiforme illud aqua-
rum depoſitum ad ægrotantium me-
delam effodiens; Qua in re quantum
tuà enituit animi magnitudo. magni-
ficen-

ficentiæque tuæ potentia penè impoſſibilium operatur, tantundem, & mihi admirandum, ſemperque laudãdum viſum fuit Prudentiæ tuæ conſilium, in eligẽdo, cui heroicum iſtud tuæ mẽtis cæptum cõmitteres adimplendum; dum virum illum præcæteris plauſit eligere, omnium exceptione; ſingulare huius ſeculi ornamentum, ſapientia, ac eruditione Clariſſimum, Mediceque Artis peritiſſimum Auunculum meum; prò cuius commendatione ſat eſt, Excellentiſſime Princeps, quod à te electus aſſumptus eſt, qui tui magnanimi pectoris cæpta facinora in re tam ardua, ac plena difficultatibus ad vmbilicum reduceret, inter quam plurimos in hac Vrbe doctrina, atque Ingenio præſtantiſſimos Æſculapios. Illius ergo

go mandatis obtemperans tuum hũc Thermologiæ Aragoniæ Prodromũ tibi ſiſto; iniquum fore Arbitratus alio verti huius Prodromi Curſum, quam in tuæ, vndè exiuit beneficentiæ manus; Ipſa namque cum ſit perlucidum quodam tuæ magnificentiæ ſpeculum, renuit aliundè, quam à te immortalis gloriæ ſpecimen, lumenque aucupari ſupremum indè Numẽ deprecans, vt te Principum Fenicẽ, qui aliorum ſalubritati tam mirifice, flagranterque conſuluiſti, in terris diù ſeruet incolumen, cæleſtiumque ingeniorũ ardoribus, quàm qui diuturnitate conſumendum, excuſſo terreno cinere interminæ beatitatis immorlalitate Coronet. Vale.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neap. ſub 17. Martij 1676. fuit dictum, quod Reu. P. Dominicus Iameus Soc. Ieſu reuideat, & in ſcriptis rrferat eidem Congreg.

F. Scanegata Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theolog. Eminentiſs

Eminentiſs. Princeps.

IVſſu Eminentiæ Tuæ vidi Libellum vnum, & alterum. qui inſcribuntur, Thermologia Aragoniæ, & nihil in ijs reperi, quod veræ Fidei, boniſque moribus refragetur. Typis igitur mandari poterunt, ſi ea fuerit Eminentiæ Tuæ mens. Neapoli 3. Iannarij 1679.

Eminentiæ Tuæ

Omni obſequio Addictiſſimus Famulus
Dominicus Iamæus Soc. Ieſu.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub die 18. menſis Ianuarij 1679. fuit dictum, quod ſtãte relatione ſupradicti Reuiſoris, Imprimatur.

Stephanus Menattus Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theolog. Eminentiſs.

ECCELLENTISS. SIG.

MIchele Blancardi ſupplicãdo eſpone à V.E. come deſidera dare alle Stampe l'Opera del q. Sebaſtiano Bartolo intitolata Thermologia Aragoniæ. Per tanto ſupplica V.E. darli licenza la poſſa dare alle Stampe, e l'hauerà à gratia, vt Deus, &c.

Reuerendus P.F. Eugenius de S. Ioſeph videat, & in ſcriptis S.E. referat.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 20. menſis Aprilis 1678.

Scoppa.

Excellentiſs. Princeps.

SEbaſtiani Bartoli currentis ſæculi Philoſophi celeberrimi, ac ſapientiſſimi viri (cuius memòria in benedictione eſt, vixit enim cum gloria, licèt non extra inuidiam: Deuixit cum inuidia in eius felici tranſitu aſſiſtentium, & piè credimus extra veram gloriam non eſſe.) Opus poſthumum Termologia Aragoniæ inſcriptum, Excellentia Veſtra iubente, perlegi. Nihil contra Regiam Iuriſdictionem continet, ſed omnia encomijs, & admiratione digniſſima. Igitur poteſt, & meretur lucem aſpicere, in ſe habens, vt Lignum deſcriptum Apocalypſis cap. 22. *Folia ad ſanitatem gentium.* Inſpirat in dies, ac diù ſuſpirabit Parthenope, Italia, Europa, Orbis literarius Auctorem, abſentem, abſentem vtique, non mortuum. Si enim

Lege

Lege Salica, Gramondo teſte, Reges non moriuntur in Gallia, nec immortalis Sapientiæ diplomate Sapientes in Mundo; viuunt namque & meliùs, & feliciùs in ſuis Libris, quàm in Liberis. Cunctos Excellentia Veſtra ſolatio afficiet, ſi diù optatos huius Magni Viri partus à cunctis publicè permiſerit poſſe aſpici, quia ſic iterum audiemus cuncti, ac perenne Sebaſtianum Bartolum Philoſophantem egregiè. Datum in noſtro Collegio Theologico S. Ianuarij Turris octauæ pridie Idibus Maij 1678.

Excellentiæ Veſtræ

Addictiſſimus, & humillimus ſeruus

F. Eugenius à S. Ioſeph Carmelita Excalceatus, S. Theol. Profeſſor Ordinarius, ac Concionator Cæſareus.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, verùm in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Valero Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Peruiſum per S. E. Neap. die 30. Iunij 1678.

Scoppa.

THERMOLOGIAE ARAGONIÆ PRODROMVS PHLEGRÆ CVMEÆ CHOROGRAPHIAM, ET VSVS THERMARVM CAMPANIÆ CRONICON COMPLECTENS.

INTER amœniſſimas Felicis Campaniæ oras, eam habuere ſemper beatiorem, quam ob pugnam ab Hercule cum Gigantibus geſtam, Phlegram Cumeam dixere veteres: hæc ab Oriente Pauſilypo, à Septentrione Leborijs campis, ab Occidente Clanio fluuio, ab Auſtro mare Tyrrheno terminatur; in anguſto huius regionis, breuique telluris tractu, ab origine rerum exorbitans natura, ignibus ſub-

terraneis, calidis aquis, lacubus, paludibus, collibus, planitiebus, placidiſſimo mari, tutiſſimo littore, admirabilem ſe ſemper oſtendit; terrarum propterea nullibi magis ſuâ expleuere Mythologi iocandi cupidinem, quàm in hac Orbis particula, prodigijs plena, & miraculis referta; quippè loci capacitatem excedit ferè rerum fabulis inuolutarum numerus; etenim hic priſcis Herculi ſacra, venerata Boaula, qui rapta in Heſperia Geryonis armenta, eò ſeruanda deduxit: extat adhuc apud incolas *Bauli* nomen, vnius litterę ſuppreſſo ſono: Auerni hic lacus: hic Acheruſia palus; hic quà ad Inferos deſcenſus vorago; Elyſij hic Campi; hic Apollinis cum vatibus olim commercia; hic ſacer Triuiæ lucus; Cimmerij hic populi; hic Antra Sibyllæ; hic Aerij montis in Miſeni nomen metamorphoſis ab Ænea Dijs Manibus immolati: Phlegra hic Cumæa; Montes hic Leucogei; Vulcani hic forum; Pauſilypum hic; hic Neſis; Euplæa, Mergellina; Tritolinus, Gaurus, Olibanus, colles ob ſuauiſſima vina Baccho ſacri; vt inter eos extenſæ planities dicatę Cereri; Lucrinus hic lacus ob piſcium multitudinem, & excellentiam, obque oſtrearum copiam, purpuræque abundantiam, celeberrimus: vt non præteream Sulphuris, & Aluminis perennes è mineris effluxus; Thermalium aquarum varietates, atque tandem Arenam, quæ indiſſolubilem pro cæmentis inducit cum calce compaginem. Verùm ſi in anguſto hoc Orbis terrarum angulo, tot prodigijs luxurians Natura ſuperbit; æmula ars, hominumque

que induſtria auſo haud impari, ibidem ſua oſtentare miracula, ſegnis haud equidem fuit, quę quantùm fuere, quæ nunc ſuperſunt rudera nunquam peritura, ob oculos ponunt, eam ab artificio conſtantiam nacta, vt cùm natura duratura, à mundi tantùm termino diſſolutionem expectent. Primùm hic Chalcidenſium errantes Coloniæ arcem ſtruxere Cumarum, quę formidabilem excreuit in Vrbem, huius poſtea ciues proximæ Dicæarchiæ (nunc Puteoli, quondam Cumanorum, deindè Romanorum emporium) mœnia poſuere, moleſque Puteolanas æternùm experturas æquoris iras. In oppoſito Puteolis littore Vliſſis ſocius amœniſſimam Baiarum condidit Vrbem, cuius Ciues in ſublimi Miſeni promontorio haud ignobilem congregauere coloniam. Regionem itaq; totam ante alios incoluere Pelaſgi tunc temporis cultiſſima gentium, & in ædificiorum magnificentiam prona, ad quorum ruinas adhùc animus ſtupet. Cum Populo deinde Senatuque Romano, Orbis tunc rerum potiente, à Cumanis inito fœdere, pars illa Vniuerſi delicioſiſſima, amœniſſima, feraciſſimaq; thermarum, in quibus inexplebilis ea in ætate libido, adeò Romanorum Principum animos allexit, vt in Reipublicæ commodum, totius Europæ mercibus Puteolos in emporium deſtinauerint; ampliſſimum portum in Miſeni radicibus, in quo maris Mediterranei claſſis, onerariaque nauigia, opportunè, tutèque ſeruarentur, exciderint; ac quiſquis, vel virtutis ſplendore, vel maiorum imaginibus, vel arbitrio fortunę in

vasta Romani Imperij ditione conspicuus, suo, proprięque domus decori multùm subtrahere videbatur, si Baijs, vel Puteolis superbas ædificorum moles, vel villas, vel piscium viuaria, vel thermas sibi, suisque non erexisset; Hinc Sillę, Caij Marij, Ciceronis, Hortensij, Caij Iulij Cæsaris, Pompei Magni, Luculli, Vaccię, Augusti, Neronis, Agrippinæ, Pisonis, Adriani, Traiani, Alexandri Seueri, adhuc seruant memoriam loca, terrent animos immania ædificiorum cadauera, ostentantque adhuc tumulatam in ruinis superbiam. Neque prętereundum vel Græcanicæ industriæ, vel Romanæ potentiæ conspicuum in hac regione hactenus specimen; eam enim cum dulcium, frigidarumque aquarum carere omninò scatebris incolæ animaduertissent: Sarnum, ac Sabbatum fluuios, (quorum fontibus inter propinquos humiliores erant Puteoli) quadraginta millium passuum spatio per aquæ ductus in durissimis montium Silicibus excisos, ac super ingentibus pontiũ molibus in vallibus obductos, Baias, ac Misenum vsque corriuarunt, caueruntque tantę molis in regionis collium saxis piscinas excidere, fornicibusque ingentibus pilis sustentatis obducere, vt aquę in ijs collectæ, integro sæculo magnæ vrbis populo essent affluenter sufficturæ, si bello ingruente fortè hostes aquarum ductus abrupissent; inter frequentem harum piscinarum numerum vna, quam Mirabilem per antonomasiam indigitant, altera quam Traconariam appellitant, cuius amplitudo integum ferè Miseni promontorium

rium reddit inane, cum nullum ab annorum edacitate' ſint hactenus paſſæ' detrimentum, & in ſua integritate ſeruentur, ingens non eſt, qui ad tantorum operum amplitudinis aſpectum, eorumque ad perſeuerantiam, non obſtupeſcat animus; quin etiam thermarum ędificia, balneorumque ampliſſimos fornices ſimulacris ornatos, attonitus non ſuſpiciat. Adde etiam ſuperſtitioſæ Gentilitatis templorum numerum Iouis, Apollinis, Neptuni, Veneris, Dianæ, Herculis, quorum nonnulla hactenus in ſæculorum iniuriam erecta, ferèq; integra ſeruantur; vt & amphitheatrum non pręteream ab Agrippa Auguſti genio poſitum, admirabilis circuitus, ſtructuræque ſuperbę, Huiuſmodi, vel naturæ prodigia, vel induſtriæ humanę miracula, vt, vbi olim fuere, extantque ad pręſens, curioſis inquirentibus ſucceſſiuo ſint ordine diſpoſita: per locorum nomina, quibus regio diſtinguitur, thermologicum hoc opus digeram; in eorum enim vnoquoque tum naturæ, tum artis luſus, quos ſcriptores memoriæ prodidere, quique noſtrum nunc veniunt in obtutum, quantùm fieri poteſt accuratè notabo: ac in ijs aliquantulùm prolixior ero, quæ ad thermas, paſſim in toto illius regionis tractu ſcaturientes, ſpecialiter pertinent: præcipuum quippe noſtrum hoc eſt inſtitutum, cętera verò ad opus obiter accedunt; præterea cum tota illa regio per Phlegræ nomen, Phlegræoſq; Campos à vetuſtiſſimis ſcriptoribus gręcis connotetur, pretium operæ exiſtimaui, vt de Phlegra, & Phlegræis, deque igne, & aqua eruditionem aliquam

prærem Chorographiæ, quæ deinceps huiuſmodi ſucceſſiuum locorum ordinem ſeruabit. Pauſilypum Neapoli Puteolos abeuntibus primum occurrit; Pauſilypo in mari ſuccedit Neſis; in littore Balneolorum ager. Balneolorum agro per viam veterem, quæ per colles ducit Puteolos, ſuccedit Agnani lacus. Agnano Aſturium; Aſturio Leucogæi colles; Leucogæis collibus Vulcani forum, quod Puteolis imminet eſt continuum. Balneolorum verò agro per viam poſtremò in littore ſtratam ſuccedit Olibanus mons inter Agnani lacum, & mare ſublimis emergens. Poſt Olibanum ſub Vulcani foro, quod eſt in Olibani iugo, ſunt Puteoli. Puteolis à dextris continuus eſt Gaurus mons, à ſiniſtris in littore Lucrinus lacus. Inter Gaurum, & Lucrinum tumulis ſeptus clauditur Auernus lacus. Auerno, & Lucrino eminet Tritolus collis Gauro continuus. Tritolo colli in littore ſuccedunt Baijæ. Poſt Baijas ſunt Bauli. Baulis continuum eſt Miſeni promontorium cum portu. Miſeno in littore auſtrali ſuccedit Acheruſia palus; Acheruſiæ paludi in littore Cumæ ſunt continuæ in foſſam vſq; Neronis, & Clanium fluuium. Miſeno, anguſto mari interiecto adiacet Prochita inſula, & poſt decem maris milliaria versùs auſtrum emergit Inarimis quoque Inſula, Iſchia nunc dicta quas olim per terræ motum à continenti fuiſse auulſas aſserit Strabo. Hęc, vel pleraque eorum cum lepido fuerint carmine expreſſa ab Antonetto Capimazzo Puteolano, non pigebit eius elegiam à Franciſco Lombardo adductam

ductam hic inſerere; Aluarum enim Proregem vt ad Puteolana prodigia viſenda exciret, ita ſuauiter cecinit. *In ſyn. cap. 7. 6*

Aluare non Nemees flagrat frondentis alumnus,
Nec ſitiens calido latrat in orbe Canis,
Non furit Orion, nec Aquarius euomit imbres;
Turbida nec gelidis ſæuit Hyas pluuijs.
Cornua Sol niuei Tauri complectitur, æqua
Temperie, cælum ſplendet, & vnda ſilet.
Frondeſcunt lentis ſociatæ Vitibus Vlmi,
Pingitur, & varijs dædala terra Roſis:
Biſtonis vmbroſa ſuſpirat in arbore pellex,
Flat zephyrus, zephyro quælibet herba viret.
Tempus adeſt gratum, quo priſcam viſere terram
Conuenit, Italiæ quæ caput vna fuit.
Tempore quo Graios fugientes mobile vulgus
Duxerunt celeres in freta noſtra rates.
Si venies, prior occurret tibi cærula Nenſis,
Cæruleo ſemper Neſis amica deo.
Iactatis Euplæa viris, & puppibus omen,
Aſpera remigio non erit illa tuo.
Balnea ſunt etiam paſſim; lætoſque per agros
Terra ſalutiferis ſemper abundat aquis.
Hæc ſtomacum iuuat, hæc febres extinguit anhelas
Hæc nimis ignauos excitat vnda pedes.
Sulphureos latices, quæ non mirabitur ætas
Infirmis aures reſtituiſſe viris?
Hic etiam (ſic fama refert) domuiſſe Gigantes
Æthereo vindex creditur igne Deus.
Eſt locus antiquus propè mœnia priſca Dicarchi
Facundi nomen qui Ciceronis habet.

Ex quo naſcentes ſuccurrunt viſibus vndæ;
Hic qui luce caret lumen habere poteſt.
Quod populo placuit pretioſa veſte Theatrum;
Nunc ibi ſemirutis molibus herba viret.
Intus arant fortes valida ceruice Iuuenci.
Atria paſcentes aggrediuntur oues.
Hei mihi iucundo ſpectanda Tripergula campo;
Viſibus eripitur, nam tumulata iacet.
Mons nouus apparet, qui ſcabro pumice ſolum
Albet, & antiqua fertilitate caret.
Cęſaris occurret clauſtrum propè ſtagna Lucrini,
Quą Venus extenſo littora calce premit
Baianos complexa ſinus, quæ ſaxa videbis,
Immitis quondam tecta Neronis erant.
Obſcuro cernes Hypocauſta calentia fumo,
Rurąque purpureis delitioſa Roſis.
Culmina Miſeni nitidum tangentia cœlum
Videris, & phrygio nobilitata Viro.
Puluere conſtructum Caïj ſuper æquore pontem;
Protinus in medijs qui lapis extat aquis.
Ingenti ſtructos calcabis ab Hercule Baulos,
Cùm pecus heſperio victor ab orbe tulit.
Theſproti campos, & ſtagna Videbis Auerni;
Sylua quod vmbroſis cinxit opaca comis.
Hic olim nullus volucrum foret Aluare cantus;
Hanc ſi ſolus aquam deſtituiſſet olor.
Hic ſurgit Tritolinus ager, Gauruſque vireſcit,
Cuius in aprico naſcitur vua iugo.
Poſt tu conſcendes Cumas, & nobile Templum;
Sunt vbi Dædalea ſigna notata manu.
Hic Minos auro plorat, volat Icarus auro,

Hiq

Hic via multiplici tramite nulla patet.
Deiphobes cernes, quamuis cinis occupet Antrum,
Inuida cum patrias flamma cremauit opes.
Hinc Glauci proles venturi præscia; quondam
Imperium Romę vaticinata fuit.
Mercurij templum poteris, templumque Minervę
Cernere, cernenti talia templa placent.
Cętera quid dicam? taceat Polihymnia, nunquam
Vndantes fluuios amphora parua capit.
Quę tamen illa tacet, visu subiecta patebunt,
Tu modò de patrio littore solue ratem.

Itaque horum locorum vnusquisque regionem, cuius fines posuimus, complentium, materiam nobis suppeditabit variam, iucunditatis, & vtilitatis haud expertem, quippe iucundam illam reddet Historia præteritorum euentuum diuersitate, vtilem verò eam præstabit Philosophia mirificorum effectuum naturalium examine non vulgari; quandoquidem globi telluris massa virginea, quæ scilicet hactenus in aliquod minerale specificatum non abijt, sal esse fixum demonstrabitur, quod in globi telluris soleis rationē habet fermēti perseuerantis cōstantiæ, ad quod si aquæ elementū appellit fermentescit illico, & in eiusdē globi veteris sub superficie concluſis, in lapidum, metallorum, mineralium, fossiliumque omnium generationem abit: vbi verò in ipsa telluris superficie sal illud fixum aquam apprehendit, in vegetabilium omnium materiam proximam illam immutat, quæ à seminibus (hæc etiam fixi salis indolem præsecerunt) specificata sub tot vegetabilium laruis no-

bis

bis apparet; conſtabit præterea inuariabilibus, promptiſque experimentis fecunditatis, & fertilitatis telluris cauſa res ſanè non deſpicienda Coloonis, nè in inſulſa tellure truſtra ſemina ſpargant, & inutili labore tempus ſimul terant, & operam; quibuſdam deinde obſeruationibus innixus veram demonſtrabo Platonis ſententiam de Barathro circa telluris centrum, in quod dum per voragines tum Oceanus, tum Mediterraneum mare præcipitant, ac per eaſdem regurgitant, producitur mirifici illius effectus cauſa fluxus, & refluxus maris, quæ hactenus ferè ab omnibus oſcitanter fuit in Lunam relata; negabitur interim elementi aquæ ex aere generatio: ac vnum idem que perſeuerare, quod ſemper fuit incorruptibile, & ingenerabile, conſtabit; adigi præterea in circuitum perennem ex mare in Barathrum, ex Barathro in ſuperficiem telluris, à ſuperficie telluris per flumina iterum in mare; accedent his rationes haud obſcuræ, quibus palam fiet marinas aquas in Barathro Sale priuari, & in ſuam ſimplicitatem deduci: aſcendere tunc eas vrgente mare in telluris ſuperficiem, & ad eiuſdem maris libellam componi pro putealibus, & lacuſtribus aquis, vbi Saxeæ montium moles aſcenſui non obſtiterint; nam ſi eiuſmodi Saxeæ moles obſtiterint, per venas montium aquæ ſurſum aſcendent, vſque dum in ſuperficiem erumpentes, in flumina ad mare fluunt, deſpicienda interim non erunt rationum momenta, quibus aſcenſum fluminum ſupra maris planitiem intelligendum proponam, abſque eo,

quod

quod legum hydraulicarum limites excedam; quod quidem intellectum mihi peperit de incremento Nili in penetralibus naturæ penitiſſimè reconditi arcani: hoc, quod hactenus, tot ingeniorum arietantium acuminibus, ſui reſerationem obſtinatiſſimè negauit, adeò in proſpectum nunc veniſſe conſtabit, vt incrementi cauſa huius fluminis, fontibus, præteritis ſeculis ignotis, iam patefactis, de certitudine nihil inuideat; adde demum his ea, quæ de aere, & igne tradentur non deſpicienda: excitari in omnibus ignem conſtabit, non introduci, ſuffocari à quouis corpore, quod eius motum impedit, non extingui à frigido, & humido, tanquam à contrarijs; aerem corpus eſſe ſicciſſimum, quod quidquid aqueum eſt ſeparat, & reſpuit; quouis enim modo attenuata aqua, licet ipſius commercio gaudeat, & vno degant hoſpitio, neutiquam tamen in radice commiſcentur; quæ omnia ex quamplurimis experimentis in lethifero illo antro circa Agnani lacum, quod *Grotta delli Cani*, appellitatur ab incolis, & à Plinio Scobes Cheronæa dicitur, audaciter tentatis, mihi innotuere, et ij non aſpernabuntur, qui veritatis amore capti, rerum periculis ad philoſophandum, non autem inanibus, fallacibuſque coniecturis vtuntur.

Hęc erunt, quæ occaſione ſtimulante, cum per notata nuper loca, rerum naturam ſpeculabor, obiter, in euulgando Thermologiæ opere, recenſebo. Ad thermas verò quod attinet, eę paſſim ijſdem in locis occurrent, atque primò quidquid ve-

veteres de ijs figillatim memoriæ prodidere, in medium proferam; deindè quid actu è tellure emergentes ſecum ferant, quod calore, odore, ſaporeque ſenſibus percipi poteſt, accuratè adnotabo; vtar et in his thermometrorum auxilio, vt vniuſcuiuſque thermę actualis caloris gradus metiri commodè poſſit; ſubdam denique, vt latens in tam multiplici aquarum varietate natura veniat in apertum, vniuſcuiuſque anatomiam, quę ignis beneficio, per ſepartionem partium etherogenearum, præuia diſtillatione, obtinetur; hac enim induſtria, non fallacis coniecturæ veriſimilitudine, ſed ipſius oculi, & linguæ iudicio, quæ in ipſis aquis occultantur mineralia, manifeſta fient.

Verùm cum ea ſit hominum conditio, vt pro ijs rebus, in quibus quiſpiam de ſe promereri exiſtimat, inuidiam conſequatur: frequens in hac vrbe numerus eorum, qui propria tantùm ſupellectile delectantur, aliorumque aſpernantur gazam, cuulgauit, in hac thermarum Campaniæ reſtitutione, me Principis indulſiſſe genio, vt meæ ambitioni ſatisfacerem; non, vt ſaluti publicæ prouiderem, ſuadentes fornices, tholos, ędificiaque illa magnifica, quorum ruinæ in Baiano, Puteolanoq; tractu thermarum ſcatebras operiebant, ad oſtentationem, et luxum tum Grecorum, cum Romanorum: non ad tuendam ſanitatem, morboſque curandos vſu thermarum, fuiſſe excitata, quod ijs vel ignorantia, vel inuidia ſuggeſſerit, meum erit vtramque detegere, vt erubeſcant tum ij, qui in aliqua re, nulla eruditione ſuf-

fulti,

ſulti, temerè de ea aliquid pronunciare audent; cum etiam ij, qui vt vel idiotarum ſimplicitati imponant, vel proborum virorum famæ inſidientur, quæ ſciunt mentiri, et rei veritatem ſubuertere non verentur. Prodromum ergo propterea iſtum aliquantulùm prolixiùs protrahare mihi contigit, quippe thermarum ſponte naſcentium vſum apud omnes gentes, pro valetudine conſeruanda, morbiſque profligandis, antiquiſſimum à primordijs repetere neceſſarium fuit, vt thermas noſtræ Campaniæ per annorum trium millium ferè ſeriem ad eundem finem excultas, grauiſſimorum ſcriptorum teſtimonijs per ſecula vſque ad noſtram deducerem ætatem; Tu itaq; lector ex hoc prodromo Chronologico vſum noſtrarum thermarum addiſce, et virorum illuſtrium, qui pro amiſſa valetudine recuperanda ijs vſi ſunt, et grauiſſimorum, ſcriptorum qui hiſtorias litteris poſteritati conſignarunt, comtemplare fidem; interea rationes, quæ in ipſis aquarum ſcaturiginibus latere id, quod quãplures morbos profligare poteſt, demonſtrabũt, per operis progreſſum expecta. Subdam nunc vſus

Cronicon.

HOminum generi Religione nihil antiquius; Numen enim adeſſe, quod Vniuerſi naturæ imperaret, certiùs cunctis ſemper viſum fuit, quam credi poteſt, ab eo cum ſiniſtra, infauſtaque timeri: ſecunda, proſperaque ſperari poſſe, iure merito ſibi homines ſuaderent, honorem, venerationem, et cultum illi decreuere; ſed tamen id, quod ipſa natura dictante, in mortalium mentibus

bus iuſtam, ſanctamque pietatem fouebat, paulatim ſuperſtitioſam Idololatriam in eorum animis excitauit; Vulgus enim à qnauis re vel iuuabatur, vel mala timebat, licet inanimi, licet corruptibili, licet ſordida, venerandi numinis illi concedebat honores; liceat ex his antiquiſſimum thermarum vſum apud gentes venari, quo cum à languoribus leuarentur, vel vt numina, vel vt numinum domicilia venerabantur; legimus enim apud Ariſtot. homines ſemper ſacras habuiſſe thermas, et illius
24. ſec. probl. 9. problematis Commentator addidit. *Quod videtur mirabile, & occultum, dictum eſt Sacrum eſſe;*
19. *ſed in huiuſmodi balneis ſtupendæ inſunt virtutes, & elatæ, ſicut dicitur de Neapolitanis.* Et apud
Od. 13. Pindarum in Olympicis θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ hoc eſt calida Nymphaarum balnea; ea fuerunt Her-
lib. 5. culi dedicata, vt in Atheneo legimus, et apud Diodorum Nymphas in Sicilia, et apud Piſandrum Mineruam olim feſſo Herculi balnea paraſſe cali-
lib. 9. da, notatum reprimus: quod clarius de Thermopylis à Strabone eſt memoriæ proditum; cur verò tutelarem Herculem meruerint, cauſam habemus apud Seruium in expoſitione ſuper ea Virgilij carmina.

Aen. 7. *Hi Soractis habent arces, Flauiniaque arua,*
Et Cymini cum monte lacum, lucoſque Capenos.

Credendum quoque eſt thermarum vſum, Græcorum fuiſſe primordijs Coetuum, cum apud vetuſtiſſimos ſcriptores, inter res memoria dignas, balnea paſſim celebrata notentur. In primis eſt notatu dignum id, quod ante Troianum bellum

de

de Corcali aſtu refert Diodorus cum inquit *Corcalus Minoe ad Colloquium laccito, quod poſtularet ſe facturum pollicitus, Domi receptus, cum in balneis lauaretur adeo in longum tempus in thermis detinuit, vt nimio æſtu ſuffocaretur, eius dein corpus Cretenſibus reddidit, prælata obitus cauſa, quod in lauacro elapſus aqua calida perÿſſet.* Pater Homerus, cuius ſcriptis apud Græcos nullum conſtat teſtimoniũ antiquius, ſæpenumero λουτρὰ θερμά, hoc eſt balnea calida nominat; præcipuè verò ſub perſona Vliſſis inter vitæ, atque animi delicias, & cytharas, & Choreas, & ornatus veſtium, adnumerat, & thermas illis verſibus. *lib. 5. cap. 13.*

Odiſ. lib. 8.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δεῖπε φίλη κίθαρις τεχορόιτε
Εἵματα τ', ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναὶ.

Thucidides ex primis ſcriptoribus Græcis, & ex eo Polybius, & Dion thermis vtendi mores tribuit Laconibus, qui ex Aſiaticis didicerant nudi, ac oleo, puluereque conſperſi in luctam deſcendere, ac poſtea lauari; cum antea ad ludos Olympicos linteo ſubcincti amictu, ac fibula, deſcenderent, ac ex eis poſteà alias nationes id cæpiſſe inſtitutum. Alexander Magnus, & in Græcia, et in Macedonia balneis, voluptuoſiſſimè vtebatur, teſte Strabone; attamen Darij thermas ſumptuoſiſſimas, eum vehementer fuiſſe admiratum meminit Plutarcus, apud quem etiam legimus ipſum Alexandrum morbo laborantem, quo periit quotidie balneo fuiſſe vſum, vnde conſtat Syros, Medos, ac Perſas in balneorum frequentatione, ac magnificentia nil ceſſiſſe Græcis, nil Pelaſgis inuidiſ-

In vita Alex.

uidiſſe. Sæculorum verò omnium præcurrit memoriam, quod ex vetuſtiſſimis Ægyptiorum monumentis, de maxima olim Atlantica insula, Oceano nunc ipſo occupata extra columnas, tradidit Plato, eam Neptuni munere tunc omni deliciarum genere clariſſimam, habuiſſe (vt relatum eſt) etiam balneas, omni cultu exornatas, quæ partim quidem ſub diuo paterent, partim verò ſub tecto calentia haberent lauacra hyberno tempore, atque ſeorſum alia Regibus propria extitiſſe, alia priuata viris, alia mulieribus dicata, alia item equis, cęteriſque iumentis; ac tandem vti ſacris Hiſtorijs, quàm profanis ſecurior fides, ita vetuſtiora memoratis temporibus in illis apparent thermarum primordia, libro enim Geneſeos in progreſſu filiorum Eſaù de Aia, et Ana leginus.

cap. 38. *Iſte eſt Ana, qui inuenit aquas calidas, in ſolitudine cum paſceret Aſinos Sebeon patris ſui.* Mos fuit Moyſis, eorum, quæ in frequentem hominum vſum ceſſere, ex tribuum ordine inuentorem memorijs prodere. Omnes itaque ferè nationes thermis conſueuiſſe, vetuſtiſſima, quæ ad noſtram ætatem peruenere, litterarum monumenta iugiter teſtantur; verùm cæteris paribus, plus illis Græciam indulſiſſe conſtat, quæ cum in dies ſapientiſſimorum virorum ſcriptis deueniſſet illuſtrior, perpetua nobis reliquit de balneis teſtimonia, Socratis, Platonis, Ariſtotelis, cæterorumque ſucceſſu temporum authorum, qui et Aſiam (vt diximus) & Perſiam, non ſolùm Græciam balnearum vſum habuiſſe familiarem, teſtantur, quod ipſa-

ipſamet vox θερμαι confirmat, quam è Græcis in Latinos fluxiſſe nemo eſt qui in dubium vertat; adeoque calidarum aquarum ſponte manantium vſum, geniali quadam ſuperſtitione frequentarunt Argiui, eique tàm accuratam dedere operam, vt præter ædificiorum magnificentias, adhuc ſuperſtites; multiplices in ijs locorum diuiſiones, vt commoda poſtulabat balneatio, inſtituerint, quorum nomina hactenus mutuamus à Græcis, vt Apodyteria, Periſtylion, Xyſtus, Laconicon, Coryceum, Hypocauſtum, Elæotheſium, ſimiliaque quamplurima ad balneatoriam artem attinentia. Conſtat ex his vetuſtiſſimum fuiſſe thermarum vſum, eumque veneratum, vt ſacrum, apud omnes olim cultas Orbis prouincias, ac præcipuè apud Græcos, qui thermarum ſtructuris adeò accuratè inuigilarunt, vt poſt deplorabiles adiacentium Vrbium ruinas, integra thermarum ædificia perſeuerare conſpicerentur, vt res eſt in noſtris Baijs proſpicientibus hactenus obuia, et in Auguſti temporibus de vrbe Cere apud Strabonem accidiſſe legimus; ea enim antiquiſſima, et celeberrima Italiæ vrbe à Pelaſgis à Theſſalia profectis condita, deleta, cùm vix deinde Vrbis apparerent veſtigia, integra inter rudera frequentiſſima fulgebant balnea, ſunt hęc apud ſuum interpretem Geographi verba. *Vicina ſanè magis fulgent balnea meliorum probitate hominum, quę vulgo Ceretana vocantur propter eos, qui ad ea curandæ valetudinis gratia proficiſcuntur.* Quod ſit etiam ijs in documentum, qui thermales aquas ad delitias *lib. 5.*

tantùm apud veteres vſum retinuiſſe, opinantur, cum à primordijs ad profligandos morbos excogitatum, abuſiuè ad luxum, deliciaſque ipſum tranſtulerint, vt de Sinueſſanis aquis adductus teſtatur Geographus. *Sinueſſa in Setano ſita eſt, à quo nomen vendicat, ei proximæ caliæ ſunt balneæ ad ægritudines quaſdam accommodatiſſimæ*, & Diodorus Siculus de Lipara Inſula hęc habet apud ſuum interpretem. *Primum ipſa natura, tum pratis inſula decora eſt, tum balneis, quæ admodum commendantur, ad valetudinem enim conferunt, & ſummam ex vſu præbent voluptatem. Quo fit vt Siculi permulto morbo impliciti, & ſanitatis gratia confluentes, valetudinem priſtinam recuperent.* Atq; vt in populi ſalutem optimè cederet balneorum vſus, altioribus Romanæ reipublicæ temporibus, Ædilium muneri committebatur, teſte Anneo Seneca in ſuis epiſtolis. *Sed* inquit, *Dij boni quam iuuabat illa balnea intrare obſcura, & gregali tectorio inducta, quæ ſcires Catonem tibi ædilem, aut Fabium Maximum aut ex Cornelijs aliquem manu ſua temperaſſe? Nàm hoc quoque nobiliſſimi ædiles fungebantur officio, intrandi ea loca, quæ populum receptabant, exigendique munditias, & vtilem, ac ſalubrem temperaturam.*

lib. 5.

lib. 6. cap. 3.

Ep. 86.

Cum itaq; thermas tanti fecerint Græci, Phlegramque Campaniæ inuenerint earum feraciſſimam, ab ijs temporibus, quibus ex Eubęa ad illam regionem Chalcidenſium appulere coloniæ, in vſum curandarum ægritudinum eas abijſſe, facili negotio vnuſquiſque ſibi ſuadere poteſt: ſaltem

tem ex eo, quod potabilibus aquis regionis ſolo pœnitus exiſtente infœcundo, ęrario, & laboribus non pepercerint, vt per quadraginta paſſuum millia, eò flumina corriuarent, dummodò calidarum ſcatebris affluentiſſimè in domorum penetralibus vterentur. Ergo ſi Campanis ipſis aliquid concedere nolumus, quibus popularis erat balnearum vſus, eum atteſtante Liuio ijs verbis. *Nam Præfectos ſciorum, ciueſque Romanos alios partim militiæ munere occupatos, partim priuatis negotijs implicitos, Plebs repente omnes comprehenſos, veluti cuſtodię cauſa, balneis includi iuſsit, vbi fętore, atq; ęſtu anima intercluſa, fœdum in modum expirarent.* In Phlegra Campaniæ thermarum vſui origo eadem, ac Cumis, quæ teſte Strabone *Vetuſtiſſimum Chalcidentium, & Cumeorum ędificium: antiquitate enim cunctas, & Siciliæ, & Italiæ vrbes antecellit.* Cui iudicio, firmitudinis non parum aſſerunt ea, quæ à Diodoro Siculo de Dedalo Cumarum incola, ſi Virgilio credimus, ſunt literis conſignata; inquit enim apud ſuum interpretem. *Tertio ædificauit in ora Selinuntina antrum, ex quo ita euaporabat ab igne fumus, vt adſtantibus paulatim ſudor ex calore eliceretur, curarenturque cum voluptate adeuntium corpora, nulla caloris moleſtia percepta.* Quippè huiuſmodi antra in regione Cumarum paſſim excauata ad eundem ferme vſum reperiuntur. Erectæ equidem fuere Cumæ ſecundum diſertiſſimas Campani Chroniſtæ Camilli Pellegrini temporum ſupputationes, anno poſt Troianum excidium 131. atque

lib. 23.

lib. 5.

lib. 5. *c.* 13.

que ſecundùm Euſebium anno 956. ab Abrahamī ætate, ſcilicet ante natum Ieſum anno 1054. ita vt hactenus à Cumarum origine, balneorum in Phlegra Campaniæ coęua, annos numeremus 2722.

Facile eſt ex his cognoſcere thermarum vſum apud Romanos fuiſſe poſteriorem, ac eas in æmulationem Grecorum conſtructas teſtantur Marcus Varro in libris de antiquis nominibus, & item Vitruuius; Verùm tamen ſub illa Romani Imperij maieſtate ſicut omnes artes floruere, ac inuenta prius ab alijs meliora euaſere, ita omnīnm maximè Thermarum inſtituta incredibiles apud eos, & ſupra quàm exprimi vnquam poſſit, habuere progreſſus: ea tamen obliterata ferè ad hanc ætatem, nec litteris mandata: multis forſan è doctis hæc meliùs ſcientibus, ita vt præteream hic primum in Vrbe thermarum inſtitutum, earum per ætates, & hominum genios prouectam magnificentiam, numerum tàm publicarum, quam priuatarum, amplitudinem, locorum diſtinctiones, figuras, nomina, vſus, fines, gymnaſia, ſcholas, ludos, paleſtras, ſimiliaque innumera, quæ antiquitùs in thermis exercebantur; ea enim omnia cum idem Marcus Varro, & Vitruuius, & inter neotericos eruditiſſimo ſtylo Andreas Baccius, Iconographicis additis quoque figuris, accuratè tractauerint, ad hos ſcriptores lectorem remitto, atque interim noſtræ Campaniæ naturalium, thermarum chronicon reſumo.

de ther. lib. 9.

Strabo grauiſſimus auctor Græcus, Cæſaris Auguſti

gusti temporibus viuens, hæc apud suũ interpretem scripsit. *Deindè reductũ profundũ littus in sinũ Baias aperit, aquasq; calidas, & ad voluptatem, & ad sanandos morbos accomodissimas.* Et paulò infra dùm Neapolis narrationem prosequitur, subdit. *Habet, & Neapolis calidarum aquarum Scatebras, & apparatissima balnea nulla ex parte Baianis inferiora, numero autem, & multitudine cedentia.* En Strabonis ætate iam eò creuerat Baianarum, Neapolitanarumque thermarum fama, vt veluti singulariſſimæ illarum vrbium dotes ab illo Geographo enumerarentur. *lib. 5.*

Plutarcus, inter Græcos magnæ authoritatis scriptor, testatur, Romani illius Principis C. Marij temporibus, ante natum Iesum an. circiter 100. tantam, in curandis ægritudinibus, securitatem apud gentes Baiana balnea acquisiuisse, vt summę illius grauitatis virum in vltima senectute valetudinarium Baijs ad molliter viuendum allexerint: huiusmodi de re sunt apud suum interpretem verba Plutarchi. *Populus in duas partes diuisus partim Marium, partim Syllam ad principatum vocitabat, volebatque Marium ad balnea ad Baias curandi corporis gratia, quod senectute, & fluxibus (vt ipse ferebat) confectus, atque fessus erat, proficisci. Nàm ibi apud Misenum magnificas ædes ad victum, atque effeminatiores quàm esset pro dignitate viri, qui tot bella, & imperia gessisset, Marius habebat. Fertur septem myriadibus semissium has Cornelium emisse: paulò postà L. Lucullo quinque, & ducentis myriadibus, traditas fuisse: ità repente* *In vita Marij*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſumptuoſitas cucurrit, &c. Vbi attentè notandum ædificij repentinum pretij tàm exorbitans augmentum, quod balnei efficacia, & commoditate accidiſſe, cum in reliquo magnificentius iam non euaſerat, credere, non eſt à veritate alienum.

Plutar. in Sylla. Sylla, Republica reſtituta, ac Dictatura depoſita, priuatus Puteolos ſeceſſit: ibi pediculari morbo correptus quotidie multoties thermis vtebatur, vt corporis pedorem, & pediculos abſtergeret; verùm cum vix productis abſterſis, aliorum myriades regenerarentur, ſi vno Sylla iubente tot hominum millia perierant, tot pediculorum myriades vnum Syllam confecere.

Octauianus Auguſtus Imperator apud Baianum balnea ſæpe morari conſueuerat, & quum diù dolore arthritico laboraret, in ſui curam Amelium medicum præelegit, qui cum calidarum aquarum lotionibus, pluſquam Imperatoris robur ferre poterat, eum lauari iuſſiſſet, & rimas cubiculi eius, velleribus obſtrui præcepiſſet, morbus magis inualuit, quo Imperator in maximam maciem adductus, Antonium Muſam in ſui curam ſuſcepit, à quo prohibitus eſt, ne ampliùs balneis vteretur, & pro calidis aquæ potionibus aſſumeret gargariſmata frigida, qua cura ſanus eſt effectus, & Auguſtus beneficij haud immemor, voluntate Senatus quadraginta ſextertia argenti illi aſſignauit, cuius rei euentum carmine expreſſit Horatius Flaccus in Epiſtolis.

Suet. lib. 2. c. 9.

lib. 1. epiſt. 15

Quæ ſit hyems Veliæ, quod Cælum, Vala, Salerni,
Quorum hominũ regio, & qualis via nã mihi Baias

Muſa

Muſa ſuperuacuas Antonius, & tamen illis
Me facit inuiſum, gelida quum perluor vnda
Per medium frigus, ſanè Myrteta relinqui
Dictaque ceſſantem neruis elidere morbum
Sulphureas contemni, vicus gemit, inuidus ægris,
Qui caput, & ſtomachum ſupponere fontibus audent
Cluſinis, &c.

Cornelius Celſus inter medicos Latinos celeberrimus de Sudatorio Tritolino fornice ſic ſcriptum reliquit. *Sudor etiam duobus modis elicitur aut ſicco calore, aut balneo. Siccus calor eſt, & arenæ calidæ, & laconici clibani, & quorundam naturalium ſudationes, vbi ex terra profuſus calidus vapor ædificio includitur, ſicut ſuper Baias in myrtetis habemus.* *lib. 2. c. 16.*

Tiberius Cæſar cum annis, quibus imperauit, Capreis vixiſſet, extremis vitæ diebus morbis, ac ſenio confectus, Luculli in Miſeno adijt villam, fortè vt balneorum vſu imminenti fato reſiſteret; ſed vix eò peruenerat cum fato ceſſit, res ita eſt apud Tacitum. *Mutatiſque ſæpius locis, tandem apud promontorium Miſeni conſedit in villa, cui Lucius Lucullus quondam dominus.* Ac in ea illi mori contigiſſe ſic fuit à Suetonio notatum. *Ingraueſcente vi morbi retentus paulò poſt obijt in villa Luculliana Octauo, & Septuageſimo ætatis anno.* *Annal. lib. 5.* *In vita Tiberij*

Nero Cæſar adeò in Baianis aquis delectabatur, vt depoſita Imperij mole, ac corporis ſecuritate, aſſidue ijs vteretur; Tacito ſic de eo ſcribente. *Coniuratis tamen metu proditionis permoti placitum mutare cædem apud Baias in villa Piſonis, cuius* *lib. 15.*

amœnitate captus Cæsar crebro ventitabat, balneasq; & epulas inibat, omissis excubijs, & fortunæ sue mole. Præterea molli verumtamen superbo genio ductus, ingens intentauerat opus, sequentibus verbis à Suetonio relatum. *Inchoabat piscinam à Miseno ad Auerni lacum contectam, porticibusque concluſam, quò quidquid Baijs calidarum aquarum esset committeretur.*

In vita Neronis

Ioseph Hæbreus in sua de antiquitate historia de nostro tractu Baiano, hæc scripsit. *Vbi palatia sunt splendidissima, dùm Imperatorij quisq; superiorem vincere contendit magnificentia inuitantibus eò lauacris calidis, sponte, e terra scaturientibus, tàm ad sarciendam corporum valetudinem, quàm ad animos otio relaxandos.*

lib. 19. cap. 1.

Statius Papinius Poeta celeberrimus in Domitiani Cæsaris temporibus cum Etrusci cuisdam balnei excellentias carmine exprimere vellet, Baianis nostris illud æquiparasse non parum laudis existimauit.

Syluar. lib. 1. Carm. 5.

——————————vbi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem voluunt hypocausta vaporem?
Nec si Baianis veniat nouus hospes ab oris
Talia despiciat. Fas sit componere magnis
Parua, &c.

Et alibi venustiori dicendi modo.

Quosque Dicarchæi portus Baianaque mittant
Littora, qua medijs alte permistus anhelat
Ignis aquis, & operta domos incendia seruant.

lib. 4. Car. 5.

Habuere deindè hæc nostra balnea Plinium secundum encomiastem, ipse enim in sua naturali hi-

ſtoria hæc litteris tradidit. *Emicant benignè, paſ-* lib. 31.
ſimque in plurimis terris, alibi frigidę, alibi calidæ, cap. 2.
alibi inunctæ; ſicut in Trabellis Aquitanica gente. Ex in Pyrenæis montibns, tenui interuallo diſcernente. Alibi tepidę gelidæque auxilia morborum conferentes, & è cunctis animalium, hominum tantum cauſa erumpentes. Augent numerum Deorum nominibus varijs, vrbeſque condunt, ſicut Puteolos in Campania. Statielas in Liguria. Seſtias in Narbonenſi prouincia; nuſquam tamen largiuſquam in Baiano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ ſulphuris, aliæ aluminis, alię Salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnulla etiam acida, ſalſauè miſtura; vapore quoque ipſo aliquæ proſunt, tantaque vis vt balneas calefaciant, ac frigidam etiam in ſolis feruore cogant, qnæ in Baiano Poſſidonianæ vocantur, nomine accepto à Claudij Cæſaris liberto, Obſonia quoque percoquunt. Vaporant, & in mari ipſo, quæ Licinij Craſſi fuere. Medioſque inter fluctus exiſtit aliquid valetudini Salutare; Iam generatim neruis proſunt, pedibuſue aùt Coxendicibus, aliæ luxatis fractiſue; inaniunt aluos. Sanant vlcera, capiti, auribqùe priuatim medentur, oculis verò Ciceronianæ. Digna memoratu villa eſt ab Auerno lacu Puteolos tendentibus impoſita littori, celebrata porticu, ac nemore, quam, & vocabat Marcus Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus eiſdem nominibus, in qua, & monumentum ſibi inſtaurauerat, ceu verò non, in toto terrarum orbe feciſſet, huius in parte prima exiguo poſt obitum ipſius, Antiſtio Vetere poſſidente eru-

te eruperunt fontes calidi perquam ſalubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullij, qui fuit è libertis eius, vt protinus noſcatur etiam miniſterium eius hauſtus ex illa maieſtate; ponam enim ipſum carmen dignum vbique, & non ibi tantum legi.

Quod tua Romanæ vindex clariſſime linguæ
Sylua loco melius ſurgere iuſſa viret.
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus.
Hic etiam apparent limphæ, non ante repertæ,
Languida quę infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per Orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Plinij ergo temporibus Baiana, Puteolanaque noſtra balnea non ſolùm ad certos profligandos morbos, facto periculo, in frequentem deuenerant vſum; ſed etiam contenta in aquis, e quibus earum manabat calor, & efficacia, ſulphur, alumen, ſal nitrum, bitumen, iam enotuerant; iureque in ijs aliquid ineſſe metallicum vir doctus reticuit, cum verè noſtrę Phlegræ Cumanę Thermæ metallica mixtura careant; licet aliqui, qui de eis in poſtremis ſcripſere ſæculis, nullo adhibito experimento, fallacique ex coniectura metallica labe eas pollutas notauerint, quod in huius operis progreſſu, per exactiſſimam Anatomen ſpagyricam, aquis adhibitam, luculentius apparebit.

In admon. ge. Iuſtinus martyr, qui Antonini Pij temporibus floruit de Sibylla Cumana verba faciens ſic ſcripſit.

pſit. *Hanc autem ex Babylone profectam, & Beroſi illius, qui Chaldaicam ſcripſit hiſtoriam, filiam fuiſſe aſſeuerant, quæ dùm in quandam partem Campaniæ conceſſiſſet, vbi in Vrbe cui nomen Cumis oracula cecinit, quæ ſex paſſuum millibus diſtat à Baijs, quo in loco calida balnea frequentantur.*

Adrianus Imperator inter eos, qui notatis temporibus ſucceſſere Principes, magno fatigatus morbo, relicta Roma ad Baias ſpe ſalutis ſe contulit, rem ſic ſcribente Spartiano. *Poſt hoc Adrianus Baias petijt Antonino Romæ ad imperandum relicto, vbi cum nihil proficeret, accerſito Antonino in conſpectu eius apud ipſas Baias perijt die ſexto iduum Iuliarum.* *In vita Adriani.*

Alexander quoque Seuerus Baiarum Cœlum, balneas, atque mare adeò exarſit, vt præter thermas, quas in matris delitias Romæ erexerat; ſuperbiſſimas quoque in eiuſdem matris honorem, & affinium Baijs excitauerit, vt à Spartiano eſt memoriæ proditum. *In matrem Mammeam vnice pius fuit, ita vt Romæ in palatio faceret dietas nominis Mammeæ, quas imperitum vulgus hodie ad Mammeam vocant, & in Baiano palatium cum Stagno, quod Mammea nomine hodieque cenſetur, fecit, & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium ſuorum, & Stagna ſtupenda admiſſo mari.* *In vita Alex.*

Romano deindè Imperio propriæ molis pondere diſiecto, Barbarorum ſucceſſit inundatio, quorum rabies licet, vt in tota Italia, in noſtris quoque Baijs ædificiorum magnificentias, vaſtaſſet,

ſet, naturales tamen aquarum dotes ſubuertere non potuit, vt ea non conferrent hominibus auxilia, quibus illas Deus cõpleuerat: calamitoſis enim illis ſæculis adhuc frequentabantur Baiana balnea, ac quamuis ſub ijs Barbarorum excurſionibus maxima vbique ſcriptorum penuria; attamen annum circiter 497. Theodorico Gothorum Rege in Italia regnante S. Germanus Epiſcopus Capuanus conſulentibus Medicis, Angulanas. ſ. *Agnani* thermas in ſuorum languorum curationem adhibuit, in quibus, cùm in Paſcaſij Cardinalis animam, per eas vagantem incidiſſet; S. Gregorio Magno hæc hominum memoriæ occaſionem prodendi dedit. *Cum adhuc eſſem iuuenculus, & in laico habitu conſtitutus, narrari à maioribus audiui, quod Paſcaſius huius ſedis Apoſtolicæ diaconus miræ ſanctitatis vir fuerit, eleemoſynarum maximè operibus vacans cultor pauperum, & contemptor ſui. Poſt multum tempus mortis eius, Germano Epiſcopo Capuano Medici dictauerant pro ſalute corporis, vt in thermis angularibus lauari debuiſſet. Qui ingreſſus eaſdem thermas, prædictum Paſcaſium ſtantem, & obſequentem in caloribus inuenit: quo viſo vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret inquiſiuit: cui reſpondit, quod nulla alia cauſa in hoc loco pœnali ſum deputatus, niſi quia in parte Laurentij contra Symmachum in Pontificatu ſenſi; ſed queſo pro me dominum deprecare, atque in hoc cognoſces quod ſis exauditus, ſi huc rediens me non inueneris; quod poſt paucos dies ita factum eſt.* Hinc Agnani ſu-

4. Dialog. c. 40

dato-

datoria, ac Thermæ S. Germani ſeruant hactenus nomen.

Gothi verò primò Europam, deinde Aſiam inundantes, brutali potius inſtinctu, quam humanis prediti moribus, ſiue ex auditu, ſiue ex vſu thermales aquas ad morbos expellendos proficuas eſſe didicerant, ex Aſiæ vaſtatione reduces, circa Hemi montis radices in Thermis Anchialitanis ſummopere ſe delectarunt, vt notat Iordanus Epiſcopus de rebus Geticis apud Caſſiodorum his verbis. *Ibi enim multis feruntur manſiſſe diebus, calidarum aquarum delectati lauacris, quæ à quintodecimo miliario Anchialitanæ ciuitatis ſunt ſitæ, ab imo ſui fontis igni ſcaturientes, & inter reliqua totius mundi thermarum innumerabilium loco omnino præcipuè ad ſanitatem infirmorum efficaciſſimæ.*

Preterea ea erat etiam apud Barbaros Baianarum thermarum fama, is mirandarum virtutum illarum rumor, vt veluti omnipotentis Numinis ſingularia dona, & perpetua naturæ miracula, ipſos Getarum gentium Reges prçcones meruerint; digna ſunt enim vt in hoc prodromo noſtrorum balneorum Gotici Regis inſerantur encomia, ſi ab Aragonio Principe ex ipſis Gotorum Regibus Genus ducente, iterum exponuntur hominum vſibus, qui tumulati iam erant in ſalubribus illis aquis deliteſcentes theſauri; legimus enim apud magnum Caſſiodorum Regis Athalarici ſequentem Epiſtolam.

PRI-

PRIMISCRINIO ATHALARICVS REX. VI.

Conceditur licentia eundi ad balnea ob morbum, quo dicebatur grauiter ſauciatus.

CVm diuturnis laboribus excubares, ita te imbecillitate corporis aſſeris grauiter ſauciatum, vt nec ad famam militiæ percipiendam poſſis occurrere, ad quam conſtat voto te præcipite feſtinaſſe: metuens, ne per abſentiam tui ab ipſis penè faucibus dulciſſimus tibi fructus videatur auferri: poſtulans etiam vt algentis corporis neceſſitate conſtrictus, Baiani lauacri ſiccitate laxeris. Dignum planè, quod inter præmia ſumma præſtemus: ſicut conferimus victis ſpem, ita tribuamus ſupplicantibus ſalutem. Quapropter & à vinculo te emolumentarij terroris abſoluimus, & prædicti lauacri munere ſubleuamus. Vt primum mentis gaudio recreatus, faciliùs membrorum recipias ſoſpitatem. Naturalis ſiquidem cura eſt, ęgris dare lætitiam. Nam ſac inualidum gaudere, ſanatus eſt. Perge igitur ad amœnos receſſus. Perge ad Solem, vt ita dixerim, clariorem. Vbi ſalubritate aeris temperata, terris blandior eſt natura. Illic miraculis alta cogitatione perpenſis, cum arcanis Mundi mens humana colloquitur, nec admirari deſinit, quę ibi agi poſſe cognoſcit: primum, Nerei fluenta marinis delitijs eſſe completa, tot portus naturę prudentia terrenis finibus intermiſſos, tot inſulas nobiles amplexu pelagi dotatas: deinde immiſſum Auerno ſta-

no ſtagneum mare, vbi ad voluptatem homnium vita tegitur oſtreorum, indruſtriaque mortalium fieri, vt res alibi fortuita ibi ſemper appareat copioſa. Quantis ibi molibus marini termini decenter inuaſi ſunt? quantis in viſceribus equoris terra promota eſt? Dextra leuaque greges piſcium ludunt. Claudantur alibi induſtrioſis parietibus copioſe delitie, vt captiui teneantur aquatiles greges. Hic vbique ſub libertate viuaria ſunt. Adde quod tam amœna eſt ſuſcepta piſcatio, vt antè epuloſum conuiuium intuentium paſcat aſpectum. Magnum eſt enim gaudium deſiderata cepiſſe, ſed in his rebus gratior eſt plerunque amenitas oculi, quàm vtilitas captionis. Sed ne longiùs euagemur inter Neptunias gazas habitare creditur, cui ocia Baiana preſtantur. His itaque rebus delitioſa exercitatione ſaginati, ad pulcherrima lauacra contenditis, quæ ſunt & miraculis plena, & ſalutis qualitate pretioſa. Nam & ſi hominum cura fabricata noſcuntur, naturalibus certè miniſterijs exhibentur. Fornaces illis non robora conuecta ſuccendunt, ceſſante flamma ibi perpetuus calor operatur: illic globi fumiferi neſciuntur, aura eſt puriſſima, quæ miniſtrat vapores, ſudores prouocat dulciter anhelos, & tanto à communibus balneis ſalubrior inuenitur, quantum ab humana induſtria celſior eſt Natura. Videas illic vndas perpetuis fumare gurgitibus, quę ita videntur lauantum explere deſideria, vt humano credas ſtudio temperatas. Cedat Corallici pelagi laudata ſemper opinio: aſſurgat Indici maris

de

de albarum candore fama locupletior. Quid mihi cum pretijs, ſi animus non fruatur optatis? Baianis litoribus nil poteſt eſſe præſtantius, vbi contingit, & dulciſſimis delitijs veſci,& impretiabilis munere ſanitatis expleri. Fruereꝛgitur bonis nihilominus expetitis. Noſtris beneficijs ad tua emolumenta peruenies. Baianis remedijs conſequere rem ſalutis. Hæc apud Caſſidorum.

Sueuorum poſteà Principum temporibus Enrici ſcilicet ſexti, & Friderici filij Imperatorum, ſęculo à Chriſti aduentu duodecimo, adeò frequens fuit noſtrorum balneorum vſus, vt Alcadinus dictorum Principum medicus, ac Poeta celeberrimus eorum nomina, ac virtutes carmine non inconcinno notaret. De hoc Alcadino, in volumine balneorum collectaneo apud Iunctas Venetijs impreſſo anno 1553. in primis ſic ſcriptum reperio.

pag. 102 at. *Cum ſumma diligentia, quę vel ab antiquis, vel à iunioribus de aquarum medicinis ſcripta ſunt, vndique ſumma diligentia conquiſita non incurioſe legiſſem, animaduerti Illuſtres aliquot Medicos cum de Puteolanis Balneis diſputant, AICADINI Poetę Siculi auctoritate vel imprimis niti. Itaque librum illius de xxxj. Puteolanę regionis balneis aliquot vetuſtis exemplaribus collatis, quàm licuit, diligenter emendatum: typis noſtris imprimendum curaui, non ingratum tibi futurum exiſtimans ſi præſtitiſſem, vt tu quoque eos verſus poſſes legere, quos clari illi viri quaſi oracula quędam ſuis operibus inſerere pulchrum putarunt, ſubieci, & IOANNIS*

NIS ELYSII medici Neapolitani libellum, in quo fidelem eorum versuum paraphrasin, ac preterea de ÆNARIÆ insulę thermis perquam diligentem considerationem deprehendes, atque ex his omnibus probabilem coniecturam facere poteris, antiquitùs in singulis quibusque balneis scriptum fuisse, quo quisque morbo fuisset liberatus, & quę ibi scripta erant, à medicis posted obseruata, & ab ALCADINO in versus fuisse coniecta, neque mirari oportet si hodie, aut pauciora, aut fortasse plura inueneris ibi balnea, propterea quòd tota illa ora propter subterraneos spiritus atque ignes, terremotibus obnoxia est. atque inde euenit vt aquę, aut meatus mutent, aut pereant, aut etiam nouę prorumpant. Verùm, vtcumque se res habet, NEAPOLIS illa nobilissia ciuitas tùm preclaris alijs multis dotibus, tùm diuinis istis aduersus omnes morbos aquarum suarum miraculis iure gloriari potest, ac dijs immortalibus gratias agere debet, & quę ibi sunt ędificia sarta tecta seruare, vbi autem, desiderantur, noua excitare, vt quę Italicarum ciuitatum clarissima est, eadem in omnes mortales liberalissima, ac maxime hospitalis iure prędicari possit.

Paulò verò post in eodem volumine Ioannes Elysius Lectori sequentia de Alcadino scribit.

Quoniam tibi curiose lector non iniucundum fore putauimus de ALCADINO, quem secuti sumus fol. 212. *aliquid intelligere: illud tibi, quod vere possumus, affirmamus, nos tùm ex scriptis tùm ex sermonibus diligentium, & eruditorum hominum intellexisse*

ALCADINVM hunc Poetam Siculum floruiſſe temporibus Henciri illius Imperatoris qui regnum Neapolitanum, & Siciliæ diù poſſedit, & Fridericum filinm hæredem reliquit. Ad hunc ipſum, HENRICVM ALCADINVS hic libros tres metro conſcripſit, primum quidem de triumphis illius Imperatoris, ſecundùm de his quæ à filio Friderico præclare, & fortiter geſta ſunt. tertium hunc de calentibus Baiarum aquis. quem nos librum quia videbamus omni parte conſentire cum his quæ à noſtris medicis ſcripta ſunt de medicinis thermarum, quæ ab eo commemorantur, ita è verſu in ſolutam orationem tranſtulimus, vt nihil prorſus eorum, quæ ab illo ſcripta erant, omiſerimus. In quo illud annotatu non indignum tibi videbitur, quòd xxxj. balnea ita verſibus adornauit, vt duodenos verſus ſingulis balneis attribuerit, & tàm paucis verbis ita medelas variorum morborum comprehenderit, vt nihil ab eo prætermiſſum conqueri poſſis. Vale.

in Syn. Franciſcus deindè Lombardus in ſua de balneis Puteolanis ſynopſi Neapoli impreſſa anno 1559. Alcadini carmina adducit, eumque multis laudibus decorat.

Scipio Mazzella in lib. Neapoli impreſſo anno *de baln.* 1606. quod ſequitur poſuit Alcadino Elogium. *Alcadinus filius Garſini Siracuſani miſſus Salernum ſtudiorum cauſa, ob ingenij præſtantiam brevi, admodum tempore tantùm profecit in philoſophia, ac medicina, vt publicè in eadem vrbe ſumma cùm laude has ſcientias profiteretur, vndè tantùm nominis ſibi comparauit, & tàm celebris medi-*

cus

cus euaſit, vt quilibet ex principibus viris illum apud ſe habere maximè cuperet. Henricus Sextus in Neapolitanum Regnum veniens, morboque oppreſſus, & ab Alcadino curatus in priſtinam ſanitatem eſt reſtitutus, hanc ob cauſam fuit apud Imperatorem magni nominis Alcadinus multis opibus, & muneribus auctus: mortuo Henrico dedit operam Federico II. Henrici filio, cuius rogatu ſcripſit de Balneis Puteolanis, idque metro, vt magis oblectaret Imperatorem lectione carminis, cùm poeſi Federicus admodum delectaretur, vniuſcuiuſque balnei vires duodecim verſibus celebrauit, imitatus Democratem, Philonem, Nicandrum, Quintum Serenum, Andromachum, & alios, qui rem medicam metro complexi fuere, vt refert Galenus lib. de Ther. & lib. 1. & 5. de compoſit. Floruit nobiliſſimus hic Medicus, ac poeta anno Chriſti 1191. exceſſit annos natus quinquaginta duos.

Omnia hæc, quæ de Alcadino extant prolixiùs quam oportebat adduximus, quippe cum omnes, quos nunc poſt ipſum afferemus, ſcriptores, ex ſuis carminibus noſtrarum thermarum loca, virtuteſque tranſcripſerint, & ab hoc tantùm vno fidei plenitudinem receperint, iure meritò tanti viri teſtimonium, tot probationibus tutum reddere decreuimus, vt qui vnus fons, à quo omnes tàm occultæ rei notitiam hauſere, hauriant, & fidem.

Anno 1229. Euſtaſius de Matera noſtrorum balneorum quædam rudi deſcripſit carmine, quod paſſim ni ſua ſynopſi adduxit Franciſcus Lombardus, qui de hoc autore ſic ſcriptum reliquit. *Ne-* cap. 8.

minem reperi, qui de hoc Euſtaſio verba faceret, dixi etenim hoc queſiui, & fortè hunc innuit Vgolinus cum dicit ſe vidiſſe opuſculum de balneis Puteolorum, authore Matthæo de Plantimone Salernitano, quorum virtutes ibi erant metricè deſcriptæ. huius Euſtaſij, ſicut & Alcadini verſiculos (quoad potui) à mendis modicum expurgare conatus ſum. Hæc Lombardus, verùm quod Lombardo non accidit, euenit erudito viro Scipioni Mazzellæ, qui in additione de balneis Puteolanis hoc de Euſtaſio memoriæ tradidit.

de baln. Puteol. *Euſtachius, ſiue Euſtaſius Materanus floruit anno Domini* 1285. *Regnante Neap. Carolo II. cum eſſet medicus ſcripſit, & ipſe de balneis, eorumque virtute carmine incompto, & languido, vt facilè quiuis iudicare poteſt, in medica tamen facultate fuit celebris, & multi nominis ſcripſit admodum doctè, & facili methodo de natura, & temperie hominis.*

Hic eſt opportunè notandum, quod Authores omnes, qui poſt Alcadinum, & Euſtaſium de balneis Puteolanis hactenus ſcripſere, operæ tantùm pretium feciſſe mihi videntur, eorum Scriptorum carmina in ſolutam orationem vertere, ac per manus tradere; Verùm adauctam vetuſtarum illarum traditionum notitiam, locorum comprobatione, balneorum vſu, eorum amiſſorum reſtitutione, noua denique aliqua ſpeculatione, vel coniectura, legiſſe mihi non contigit; imò potiùs, (ſi populari famæ aliqua debeatur fides) noſtrorum balneorum vſum quàm maximum paſſum

fuiſſe

fuisse detrimentum, ex ea Medicorum Salernitanorum apud multos scriptores notata, an fabula, an historia, vnicuique constare potest, euentus anno 1559. à Francisco Lombardo, vbi de balneo Tritoli scripsit, inuenitur primò litteris traditus. *In Syn. cap. 84.* *Balneum*, inquit, *præclarum, & admirabile est ad radices rupis altissimæ in qua ampla domus cauata est, & in ea imagines compositæ artificis ingenio manus tenentes ad loca passionum, quæ vel sunt vetustate consumptæ, vel (vt ferunt alij) à Medicis Salernitanis deletæ sunt: vt refugium, quod per ægros habebatur ad balnea pro eorum languoribus, ad solos Medicos haberetur; modicum enim emolumentum ex philosophia trahebant.*

Annis deindè 1594. & 1619. à Scipione Mazzella priùs, posteà verò à Iosepho Mormile rerùm Puteolanarum exactissimis scriptoribus, perquàm multis additis circunstantijs negocium fuit typis mandatum; referunt enim, quod in vnoquoque balneo præter humana simulacra affectos corporis locos manibus indicantia, aderant quoque marmoreæ tabulæ balnei virtutum inscriptiones continentes, cùmque in Puteolanum sinum nocte quadam Salernitani quidam Medici adnassent, ferreis instrumentis simulacra eos vastasse, marmoreasque inscriptionum tabulas fregisse testantur, addunt; eò patrato facinore, Medicos, qui parua naui Salernum reuehebantur inter Capreas, & Mineruæ caput feciſſe naufragium, ac miserè perijsse; quæ omnia haud ex arbitrio scripsere, sed ex traditione, publica munita fide; quippè subiun-

lib. de antiqu. Puteol.

gunt Ladislai Regis temporibus marmoream fuiſſe Puteolis tabulam repertam loco vbi dicitur *le trè Colonne*, quæ ſequentibus erat litteris inſculpta.

Ser Antonius Sulimela, Ser Philippus Capograſſus, Ser Hector de Procita famoſiſſimi Medici Salernitani ſuprà paruam nauim ab ipſa Ciuitate Salerni Puteolos transfretauerunt, cùm ferreis iuſtrumentis inſcriptiones balneorum virtutum deleuerunt, & cum reuerterentur fuerunt cùm naui miraculosè ſubmerſi.

Hac ſcriptione à Rege inſpecta, tradunt Antonio de Ianuario ſuo familiari eum mandauiſſe, vt de re publicum inſtrumentum à publico Notario Dioniſio de Sarno erogari curaſſet, quod fuit exequutioni mandatum; ex notatis deindè authoribus quàmplures rem tranſcripſere ſub eadem fide, creuitque in diem in vrbe, & in Regno inhumani ſceleris fama, & egrorum deploratio ob inuidè ſubtractam ſuis languoribus gratuitam medelam; verum tamen eſt, ſuſpectiſſimam eſſe Notarij Dioniſij fidem; Imò fuiſſe quondam in S. R. C. latam ſententiam, qua conſtitutum fuit vniuerſas, ac ſingulas dicti Notarij ſcripturas nullius teſtimonij, ſed in omnibus ſuſpectas, & apocriphas in poſterum eſſe habendas, ac quantùm porrò incertitudinis, quantùm ſuſpicionis, Salernitanorũ cuentus Medicorũ popularis continet rumor: tãtùm ſecuritatis merere argumentũ, exiſtimo, ſęculorum curſum, regionem incultam, tractum in-

cen-

cendijs, terræmotibus, ac maris æſtibus ſubiectum; Regni turbulentias, ac bella, hominumque incuriam, ad omiſſionem, confuſionemque baleorum concurriſſe. Quomodocumque verò balneorum opus, vel inuidia, vel incuria hominum ceſſauerit; certum eſt Enrici VI. Imperatoris ætate illud floruiſſe, Alcadini carminibus illuſtratum, ac in eodem ſtatu permanſiſſe in ætatem vſq; Euſtaſij de Matera, circa annos ſalutis 1285. poſtmodùm declinauiſſe ad vſque tempus Ioannis Villani, qui agreſti nimium calamo Partenopæam ſcripſit hiſtoriam circa ſalutis annum 1424. in qua adamuſſim balneorum virtutes Alcadini carminibus ex preſſæ, in vernaculam orationem verſę, leguntur; verùm enim verò licet Medicorum Salernitanorum euentum omnino negauerim, vel ſuſpectum habuerim, perinde non eſt vt ſimulacra in balneorum fornicibus inſculpta, affectos corporis locos manibus connotantia, marmoreaſque virtutum inſcriptiones extitiſſe, non confirmem; cùm ijs exiſtentibus non ſolum impoſſibile, ſed neque difficile fuiſſe reor, frequentium terræmotuum concuſſionibus, ea omnia in ædificijs corruiſſe, quæ vel profundiſſimis fundamentis, vel latæ cæmentationis compagine ſuffulta fortè non erant; idque præcipuè in horribili illo ſubterraneo Inarimis incendio, anno 1301. ſub Caroli II. Andegauenſis Imperio, quo tota ferè inſula conflagrauit, ac proximus continentis tractus, per multos menſes terræmotibus fuit vehementer ſuccuſſus. Addequod decimotertio ſalutis ſeculo, ſub Andegauenſium

dominio, ſeditioſus Mars Regni Neapolitani quietem eò turbauerat, vt hominum animi auxilijs partium occupati, nil de balneorum inſtauratione cogitare potuerint; his anſam dedit coniecturis vetuſtum volumen, anno 1300. calamo exaratum, quod Noſtro Principi Heroi Petro Antonio Aragonio, Regni Proregi à ciue quodam Neapolitano fuit præſentatum, euagata fama, quod balneorum reſtitutio Principis Pietate intentaretur; codicis papyrus, caracterum forma, rubricæ, tabulæque externæ Gallicum opus præſeferebant; idioma verò vernaculum erat Neapolitanum, varia continebat, ſcilicet, remediorum formulas aliquas; lunare calendarium, deuotas quaſdam precatiunculas, ſimiliaq; ſed præcipue poſt quatuor paginas, in quibus balneatoria præcepta legebantur, ſigillatim in qualibet earum, depicta coloribus balnea erant, hominum ſimulacris interſperſa, manibus languentes corporis partes deſignantibus; balnea continebat triginta, in quo numero, & ſudationis Caueę; in que paginæ fronte legebantur balnei cuiuſque locus, & virtutes, notatas ab Alcadino, & Euſtaſio numero ſuperantes, quod infra opportunè aduertemus; Itaque vel Medicorum ferrea iniquitas, vel erodentis temporis lima (quod eſt veriſimilius) ſimulacra, & inſcriptiones deleuerint, ſumma Dei prouidentia ad huius vſque temporis plenitudinem codicem ſeruauit, in quo Aragonij huius Principis Pietas, tantam rem reſtituendam ſuſceptura erat; vt cæteris, aliunde, quæ erant, excerptis notitijs,

opus,

opus quod desperatum iam conquerebantur Neapolitani, omnibus completum numeris, in vniuersalis salutis gratiam præstaret.

Ioannes Villanus supra quoque notatus, anno 1424. cùm Parthenopeam absoluisset historiam, quam vernacula Neapolitanorum lingua typis mandare curauit; in calce ipsius operis, tractatum de Puteolanis Balneis, ab Alcadini carminibus penè ad verbum transumptum, soluta oratione, edidit, illiusque regionis, tàm varias aquas, quàm prodigiosas, vt ad penitissimam quorumcumque ferè morborum curationem accomodatissimas, illo opusculo ad sydera euexit.

Michael Sauonarola, qui inter viuos agebat anno 1450. de nostris Neapolitanis balneis scripsit in suo de balneis tractatu lib. 2. rub. 19. vt ex volumine balneorum collectaneo, apud Iunctas Venetijs impresso, apparet: in quo, & Vgulini de Monte Casino Sauonarolæ fortè coętanei, tractatus de balneis Puteolanis similiter continetur.

Franciscus Aretinus, qui circa Christianum annum 1460. floruit, cum casu in librum de mirabilibus Puteolanæ regionis, offendisset; adeò plurimi fecisse legimus, vt Pio Secundo Pontifici Maximo, atque tantæ doctrinæ ornato, quantum ea, quæ sub Æneæ Syluij nomine circumferuntur opera, fidem faciunt; veluti donum maximum, Maximo Pontifici æquum, dono miserit, vt ex sequenti epistola ab ipsomet Aretino Pontifici transmissa, à Francisco Lombardo relata, liquet. *in Syno.*

S.D.N.

S.D.N. PIO II. PONTIFICI MAXIMO.

Franciſcus Aretinus. S. P.D.

EVoluenti mihi quædam librorum volumina (Pie Pont. Max.) & animi laxandi gratia codices illos perquirenti, reperi hoc opuſculum Puteol. regionum, admirabilium profecto virtutum, quas in aquis implicitas, ac latentes Sanctitas tua legendo plane inſpicere poterit. Illas enim tuæ ſapientiæ dicandas putaui, quod te ſentiam tanta iucunditate, lætitia, ac ſumma reſtaurandi naturam voluptate, his in Baln. delectari. Puteolos enim uerò petere, ſi tuam aliquando Sanctitatem non tæderet, ob eorum ſingularem aeris temperiem, & ſalubres aquarum vires, maxima temporum diuturnitate morari, & illic degere nunquam defatigari crederem. Verùm quod potui ex induſtria (Beatiſſ. Pater) inter cæteras proprietates, quæ à compluribus huius ſeculi celebrantur, nullæ veriores Aquarum iſtarum ſententiæ, quàm mihi ex præſentia viſæ ſunt. Sed cum ea probare attingam, quæ in libello continentur, ad Philoſophorum ingenia potiùs ſpectare videntur. Nollem à maleuolis, qui ſe ſe odio, vel inuidia mouere ſolent, maledicentia, & eorum loquacitate comprimi, quoniam talem aſſumpſerim prouinciam, & alienam à me contra omne officium arma ſumpſiſſe profiterer, huic ratus maledicentiæ reſpondere. Materies quidem ipſa philoſophica, & de ſumma philoſophorum parte primum eſt deſumpta. Hominem poſtulat, qui maturè ocio fruatur, & literis quàm diligentiſſimè operam det, longeque abſit abilluuie

τῆς δυσυχῆ Περίας, *ac graui rerum familiarium cura, & non philoſophię artis ſolum, verum etiam vniuſcuiuſque peritę. Quę ſi commendare qui ſaltem conetur, quę non intelligit, videatur verborum ſolummodo, vt puer ſequi poteſtates, rarò ipſa ſenſa, is interdum ſolet plurimum aberrare. Quod cùm animo voluerim, quàm honeſta res eſſet, quàm vniuerſę reip. inuenio fortis, & vtilis, quàm tibi grata, fretus etiam ſpe tuę Beati. non parua, ex qua virtutum, & optimarum artium imitatores miris laudibus, ac prę mijs extolli ſolent. Suſciperem ea conditione, vt tandem in publicum prodeat tuo ſane pio nomini dedicatum, ſi quid in eo opere Sanctitati tuę gratum inueneris, atque vtile, inuentori primum, atqùe auctori gratias agas, & habeas. Si libitum fuerit, illo iamdudum abſente mihi referas. Quod autem reprehenſibile tn eo eſſe proſpexeris, infirmę, ac fallaci mortalium omnium experientię deputes. Cùm enim in eo titulum Auctoris non inuenerim, nec à quo neque vbi liber editus ſit, ad tuam Beatitudinem opus dicare volui. Vale.*

Fridericus Rex Neapolis Secundus Aragonius, circa annum 1495. licet inter anguſtias, & labores Regno infeliciter potiretur, fatale tamen balneorum diuinum opus Aragonijs, poſt ſummam ferè eorum vaſtationem, humaniter reſtituit, vt ab Andrea Baccio ſequentibus verbis eſt gloriæ proditum. *Veruntamen, quę eſt tandem rerum omnium viciſſitudo, ac magnarum etiam labes; cum hęc loca diruta diù, ac deſerta fuerint, noſtrorumque Auorum memoria, ea parte, quę attinebat ad* de ther. lib. 4.

bal-

balnea fuerint repurgata, ac restituta ad vsum à Frederico Aragoniæ Rege, vt ei lepidissimis encomijs Pontanus adulatus est.

Ioannes Iouianus Pontanus, vir summæ eruditionis, & carissimus Musis, vt sua testantur opera, circa initium decimiquinti sæculi superstes, cùm sparsim quoq; multa de Baianis hisce balneis tradidisset, ipsorũ vsum luculenta hac elegia, quam subnectere non piguit, complexus est.

Amor lib. 2.

Annua Baianis redeunt spectacula lymphis,
Et medicas aperit terra salubris aquas.
Littoraque arrident teneris spectanda puellis,
Et suus est illis vndique mixtus amans,
Littora non vnquam nostras solantia curas,
Sed semper sæuis addita causa malis.
Quid iuuat ingratos membris depellere morbos
Si curas animo tristitiamque datis?
Hinc ego cum vestro quæsissem à fonte salutem,
Vulnera non ipsi perpetienda tuli.
At vos ò toto dispersi littore nautæ,
Nunquid, & hac vecta est nostra puella rate?
Quos tenuit fontes? aut quas petit improba thermas
Quos'ue habuit comites? quem'ue secuta ducem?
Infelix auibus locus hic, vndæque nocentès.
Me miserum volucri non nocet ipse deo.
Atque vtinam hæc nunquam tetigisset littora victor
Alcides, oris missus ab Hesperijs.
Viderat ille gregis præda ex Balearide pompam,
Vnde, & Pompeius nomina vicus habet.
Ecce furit totis infecta per agmina castris,
Perque omneis sæuit mors inopina vias.

Ipsa

Ipſa ſuis ſpargit manibus peſtemque luemque
Exatiatque animum cruda nouerca ſuum,
Nil medicæ proſunt artes, cantataque verba,
Aut è Marrubijs herba reuulſa iugis.
Procumbit, ſupplexque Iouem Tirynthius heros
Orat, & intonſo de grege mactat oues.
Exquiritque deùm pacem, Nymphaſque precatur,
Quaſque virens Gaurus, quas & Auernus habet.
Audijt hic genitor natum, audiuere ſorores,
Quæque ſalutiferas fundit Araxis aquas.
Nàm paſſim toto manarunt littore lymphæ,
Eripitque cauis fontibus auxilium.
Sulphureæque micant vndæ, ſcaturitque ſub antris
Fumidus, & medicas extulit humor opes.
Nec mora, iuſſus aquis lauit ſe exercitus illis.
Triſtis, & ex omni corpore peſtis abit.
Forte Amor in Nymphen Lęborida tela parabat
In quam Vulturnum fixerat ante deum.
Aenariæque procul ſecreta in rupe ſedebat,
Dùm cauet inſidijs callidus arte locum.
Audijt hic dùm læta Ioui canit æquore toto
Miles, & Herculeis vocibus aura fauet.
Aura fauet grataſque dei perducit ad aures,
Quantum opis his illis vis, & ineſſet aquis.
Spem capit admonitus lucis, caræque ſalutis.
Captaque reſtitui lumina poſſe ſibi.
Nanque olim pharetra nimium puériliter vſus,
Torſit in armiferam ſpicula acuta deam.
At pallas pueri telum auerſata retexit
Ægida, vipereas explicuitque comas.
Hinc puero riguere oculi, viſque ipſa videndi

Ta-

Tabuit, atque hebeti lumine ab inde ſerit.
Conſilio Veneris tamen, atque ex arte Cupido
Ipſe vicem, & fratris munera frater obit:
Arcum ſtringit Amor, moderatur tela Cupido.
Laxandique arcus ſigna dat ipſa Venus.
At cęcos iocus, inceſſus, incepiaque cęca
Dirigit, & fraudes, illecebraſque parat.
Ac ſubito auratę fulſere per aera pennæ,
Et volucer celſa mouit ab arce deus.
Huc poſtquā ventum eſt, medicis, & conſtitit vndis,
Et tepido lætus margine ſedit aquæ.
Mox arcum, ardenteiſque faces, volucreſq; ſagittas
Depoſuit, miſero cognita tela mihi.
Incubuitque genu duplici, tum flumina palmis
Haurit, & infuſo lumina rore lauat.
Terq; quaterque oculis amnem ſuffundit, at illi
Luxit, & auxilium Tullia lympha dedit.
Hinc nunc tàm certo meditatur ſpicula iactu
Acrior, & multo quàm fuit ante ferit.
Nec tantum volucri præfigit pectora telo,
Sæua ſed ex oculis vulnera multa parat.
His ille inſidias fallax, his retia tendit,
His capit, & captos ſubditione premit.
His ego, me miſerum, triſti ſeruire puellæ
Cogor, & æternùm vincula dura pati.
Atque vtinam primis mater me fleſſet ab annis,
Et rapta è cunis funera noſtra forent,
Non ego tam multos ſentire in amore dolores,
Seruitium, & quærerer regna ſuperba diù.
Nec turpis de me permultas fabula gentes
Iſſet, & ingenij fama ſiniſtra mei.

Ah

Ah pudeat vatem, pudeat pia ſacra colentem
Nequitiam, & Veneris turpia caſtra ſequi.
Cingite victrices Lauri, mihi gloria parta eſt,
Ceſſit amor, vacuo eſt pectore pulſa Venus.
Effracti cecidere arcus, ruptæque catenę,
Liberaque ercpto ſunt mea colla iugo.

Et idem Pontanus philoſophum agens graui metro ipſorum balneorum qualitatum cauſſas, ſic alibi philoſophatur.

Baiano ſed ne fumare in littore thermas
Mirere: aut liquidis fluitare incendia venis: *De ſon. & flum.*
Vulcani ſora ſulphureis incenſa caminis
Ipſa mouent, latè multum tellure ſub ima
Debacchari ignem, campoſque exurere opertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Vnda fugax, teſtis feruent, & balnea flammis.

Ioannes Elyſius Medicus Neapolitanns, qui & circa decimiquinti ſęculi initium identidem vixit, noſtrorum balneorum loca, nomina, atque virtutes ab Alcadini carmine deſcriptas, primus ſoluta oratione latinitati donauit; ſeruauitque ad ea demonſtranda exactum locorum ordinem, à Poeta diſpoſitum, quem multi illum ſubuertentes, confunderunt; vt ipſemet Elyſius, quem item ſupra retulimus, teſtatur in dicto volumine balneorum collectaneo, apud Iunctas Venetijs impreſſo anno 1553.

Anno 1507. Auguſtinus Tifernus, ſequentes litteras dedit Sigiſmundo Mair de balneis, quas apud Lombardum reperimus.

Nuper Sigiſmunde quum Puteolis eſſem, atque *in Syno.*

ea

ea quę ad Puteolos, Baias, & circa Auernum, Lucrinumque lacum antiqüitatis vestigia cernuntur, mirarer; Rogaueram socium itineris mei Senem quendam Puteolanum, nunquid nomina eorum locorum, quos coràm contemplabamur, scripta inuenirentur? Dicebat extare quoddam Opusculum de mirabilibus Puteolorum, quod contineret, non solùm locorum Puteolis circuniacentium nomina, sed Balneorum etiam vires, ac naturam: nescire autem se vbi id inueniri posset, quòd nunc anni plusquam triginta transissent, quum fuisset literis græis impressum. Cogitaui mox ego Neapoli in tanta hominum frequentia me illud dubio procul habere posse. Itaque cùm Neapolim redijssem, diù istud quęsitum opusculum, tandem vix ad manus meas deuenit. Quod ipsum quidem quum legendo pèrcurrissem, è vestigio Domino meo Reuerend. D. Christophoro Episcopo Lubanensi, vt est totius antiquitatis egregius admirator: deindè & D. Lucæ de Renadis Pręposito Xanten. Cęsareis oratoribus apud Catholicum regem, legendum exhibui. Quorum vtrunque quum eiusdem libelli exemplar habendi miro desiderio teneri viderem; (continet. n. res varias, admodumq; delectabiles, ac stupore dignas) volens non eis ipsis solùm, sed toti Reipub. & maximè Germanis nostris gratificari; qui vni omnium inter cęteras nationes semper talium rerum curiosissimi fuere. Te ipsum ad id imprimendum potissimùm elegi, qui imprimendi diligentia, & characterum luculentissima forma, cæteros tui artificij viros longè post te relinquere mihi videris; nàm nisi Cantalitius Episcop. Pennen.

Pennen. deinde Petrus Summontius Neapolit. tuam diligentem operam nouiſſent, non hic Pontani libros, neque ille opus illud ſuum poeticum de bis recepta Parthenope tibi commiſiſſent. Quare id opuſculum tumultuaria quadam lectione reuiſum ad te miſi; hortatus, vt iſtud quam primum poteris officinæ tuæ iſti ornatiſſimę mandes, deſq; operam, vt Exemplar in plures formas tranſumptum, paucos hinc poſt dies habeatur: accingimur. n. ad diſceſſum, Romam petituri. Addidi quædam, & ea non pauca, quę legentibus iudicaui non iniucunda futura. Vale. Anno M.D.VII. Kal. Iun. regnante Ferdinando Aragoneo.

Mengus Iauentinus, qui anno 1513. viuebat, accuratè, diligenterque de noſtris balneis ſcripſit, vt in citato volumine collectaneo, Venetijs impreſſo, legitur. Quo fortè tempore, & Georgius Franciottus non inconcinnè in ſuo volumine noſtra quoque balnea diſtinxit, vt ex eodem collectaneo conſtat.

Bartholomeus Taurinenſis vir apprimè doctus circa annum 1550. de noſtris balneis commentaria etiam ſcripſit, quæ ex eodem collectaneo apparent, quod ſingulis legendum propono, cum omnes penè contineat authores, qui ad annum vſque 1553. de balneis pleniùs ſcripſere.

Georgius Agricola in ſuo de re metallica abſolutiſſimo volumine, anno 1550. torculari ſubdito, multis in locis noſtra notauit balnea, ac preſertim in lib. 4. de ijs, quæ effluunt, paſſim Tritholorum, & Agnani hypocauſta, atque cæte- *lib. 2. de ijs quæ eff.*

ra balnea commemorauit;ita vt totum ferè librum in illis tractandis occupauerit, iſque ſolus fuit,qui ſudatorij Tritholini iconem, fornicum labyrinthũ præſeferentem ex delineato ære,in paginam, impreſſam ante oculos poſuit ; verumtamen mancam , atque exacto ſitui minimè reſpondentem.

Demum Ioannes Franciſcus Lombardus Neapoltianus, vir omnigena eruditione præditus primus fuit , qui anno 1559. ordine , methodo , cæteriſque adhibitis circunſtantijs in ſua de authoribus , qui de Puteolanis balneis ſcripſerunt , ſynopſi , noſtrorum balneorum rem ſummoperè illuſtrauit ; vnde nonnulla in poſtrema hac tanti operis inſtauratione nos mutuauimus , atque dignum auctoritati tanti viri in multis inniti exiſtimauimus , vt paſſim in ſubſequentibus occurret opus ſculis;ac licèt citatus ſynopſis Lombardi Libellus ex sè ad ſtabiliendum tantæ veritatis teſtimonium ſufficiens eſſet ; attamen non iniucundum putauimus teſtimonia virorum in medium afferre , quæ tanti hominis , tamque de hac re benemeriti , laudes , & balneorum noſtrorum ſecuritatem , ſalubritatemque vltro confirmant ; ex his fuere .

Franciſcus Brancaleo diſertiſſimus tunc tempo-
Lomba. in ſyno. ris medicus , & Lombardi coetaneus,qui lectorem ad tanti luſtrandum viri opuſculum, ſequenti oratione excitauit .

Mortales gaudete , obliteratam , ac emortuam ferè, ſiuè (vt vulgus clamitat) Medicorum quorundam

dam perfidia, siuè Temporis omnia absumentis iniuria salutarem illam Balneorum apud Puteolos vim in vitam reuocat, non minus pius, quam doctus, & in eruendis, excutiendisque Veterum monumentis dīligens Ioan. Franc. Lomb. Is. n. post vtriusque linguæ absolutam cognitionem, disciplinarum orbe, quam Τὴν Ἐγκυκλοπαίδειαν vocant, lustrato, nihil aliud interdiu, noctuque studet, quàm lingua, gestu, manu illud exprimere, Ὁ ἄνθρωπος τῷ ἀνθρώπῳ δαιμόνιον Homo hominis Deus, Iuppiter est iuuare mortales. Quem scopum nullo certè alio iactu attingere cōmodiùs hoc seculo poterat. Quò, neglectis tot Naturæ muneribus in quolibet morbo πρὸς τὰ φάρμακα, confugiunt Medici, quæ à veneni natura non admodum recedunt. Iam Fama percrebruit, earum Aquarum tantam fuisse virtutem, vt nullum olim esset tàm deploratum morbi genus, quin earum vsu celeriter, & iucundè curaretur. Nec equidem reor veteres Romanos alioqui grauissimos ac prudentissimos homines, soliùs voluptatis causa quotannis ad eas migrare solitos, sed potiùs sanitatis. Quam ad conseruandam Rempub. non minus necessariam nouerant, quàm filiorum propagationem. Verùm quanta sit Aquarum potentia, serio exprimere angustus hic circus non patitur, satis meminere Thales, Homerus, Pindarus, & ex nostris Ouidius, atque hic quicunque fuerit huius commentarij author, qui quàm bene bona scripserit, quotidiano periculo ad tribunal sensus cernere licet. Vestra interest paria facere, & in huiusmodi honestissimo certamine eniti pro vestra virili non succūbere.

Pyrrhus Antonius Cephalæus Nuſcanus, *ibidem.* non minoris leporis epiſtola, lectorem hortatus eſt, maximum operæ pretium facturum, ſi Lombardi perlegiſſet ſynopſim; ita enim ſcripſit.

Humano generi pietas, quã Τὴν Εὐσέβειαν *Græci compto nomine dicunt (humane Lector) mirificam vndique gratiam affert, Vitæque æternæ præter reliqua, firmiſſimam ſpem pollicetur. Hęc ſi quidem (vt ad Ciceronis verba me proripiam) eſt virtutum omnium cultrix, vitiorum expultrix, & perturbationum animi (Græci τὰ πάθη vocant) moderatrix. & qua tandem non amplexa, nemo vnquam Deo Opt. Max. placere poteſt. Huius Pietatis cultores ex animo, Nos eſſe decet. Si vera bona agnoſcere, agnitaque poſſidere cupimus. Hæc meum Franciſcum Philoſophiæ, ac Medicæ facultatis peritiſſimum ſingulariter impulit, vt Puteolanorum Balneorum facultates ab Antiquis mirum in modum celebratas, Nunc in pnblicam omnium vtilitatem hilari fronte porrigeret. Inuigilauit, ſudauitque plurimum (ſciens loquor) vt Thermas iſtas nonnullis Scholÿs illuſtraret: ne fœditas vultus omnes ab earum amore deterreret. Pulchritudinem.n. omnes amamus, colimus, veneramur. Turpitudinem verò quis non abominetur, deteſteturue? Lege itaq; iucundo animo mei Franciſci lucubrationes, & venuſtiſſimę Εὐχαριστίας memoriam habens, ipſum in Domino benè valere ores.*

ibid. Franciſcus Baliſterius Siculus Zancleus Greçarũ litterarũ profeſſor, Aſclepiadęo carmine, Græco cõſtructo eloquio, noſtro ſic applaudens Lombar.

Εὐχάρ.

ψυχάν, σῶμα τὸ καὶ τὸμελετεῖν θέλων;
ἐντεῦθεν παρέιντ' ἄκεα ζητεῦν
τίν νῦν θερμαιεῖ ἄρ σημνοέων τέλος
τῶν θερμῶν εὐσιν; ἧς σόματος ἴασιν
εὑρήσει ἀρθμῶς, ἔργον ἔνεσι γαρ
θαυμάσὸν μὲν ὅτερ δ' ὦ κόπος ἐυφυὴς
λομβάρδυ σοφίης παιδὸς ἑκατέρηι.
πᾶς τις γῦν βιβλίον τῦ τ' ἐπιλαβέτω.

Ioannes Baptiſta Lombardus Siculus, lepidiſſimo verſu, lectorem ad Lombardi opus perlegendum inuitans, hoc fundendo dodecaſtichon. ibidem.

Vt Medici nequeant, velut eſt de more medentum,
Naturæ poſthac vendere, vt ante, bona,
Charius argento, & fuluo quoq; charius auro,
Queis bibuli Medici, Tantalus vt, ſitiunt.
Munere Aragoniæ curatum, & flamine diuæ
Eſt Mariæ, in cunctos pro bonitate ſua.
Ergo emat, & precio minimo, relegatq; Libellum
Iſtum, terq; quater, nec ſemel. (Ex animo
Sepoſito liuore procul, linguaq; veneno
Suffuſa, Inuidiæ quicquid, & ora rigat.)
Commoda Naturæ, genium, doteſq, medullas;
Tempore nec longo, noſcere quiſquis amat.

Ioannes Hieronymus Cordus Neapolitanus, ſequens ſubnectendo tetraſtichon. ibidem.

Baiarum thermas celebres per ſecula Lector,
Atq; Dicarchæi balnea ſume ſinus.
Quæ tibi ſumma mei Franciſci cura dat, iſtis
Vtere, & elatum pone ſupercilium.

Ioannes Baptiſta Arcuccius, qui in ſua poeſi ad Sigiſmundum Battoreum, Poloniæ Regem,

Lombardum, Balneorum reſtitutione, laudabilem, tali carmine confirmauit.

ibidem.

Ornabat olim tua virenti Delius
Franciſce myrto tempora.
Nam te puellę lauerant Libethrides
Liquore fontis Pegaſi.
At nunc opis repertor idem laurea
Ornabit hoc tuum caput.
Dum, quę latebant temporis caligine,
Micantiori lumine.
Profers in auras candicantis ętheris
Hæc tàm venuſta Balnea.
Quę membra, queq; corpus omne langvidum
Suapte confirmant ope.
Quę iam Salerni non pauebunt ampliùs
Timore pulſo pectora,
Nec quicquid orbem territat, nec omnia
Iouis triſulca fulmina.
Nunc ergo odorum vitrea ex vrna caput
Pontanus efferet meus.
Cantauit ille Balneas inter ſuas
Plectro decorus aureo.

Donatus Viridiſroſa Montellanus, Lombardi opuſculo dando hoc item tetraſtichon.

Si loca Cumarum, ſi Balnea priſca Dicarchi,
Lucriniq; cupis noſcere fortè lacus.

ibidem.

Franciſci hunc hilari Lector lege fronte Libellum,
Quem nunc ex Orci faucibus eripuit.

Verùm enim verò Sereniſſimæ Aragoniorum Proſapię heroicum hoc balneorum Puteolanorum inſtaurationis opus, delegaſſe ſuperos res ipſa ſuadet

det ſemel enim quondã à Friderico Rege reſtituta, hodie ſub Noſtri Aragonij Principis auſpicijs, eorum loca tumulata iam, obrutaque, diſſectis montibus, reiecto mari, reparatis collabaſcentium ædificiorum ruinis, iterum reſtituuntur. Et Lombardus noſter ſuis diebus, balneorum vetuſtas traditiones, eorum loca, ac virtutes continentes, ab hominum memorijs abolitas iam, ac in tenebris ſepultas, Sereniſſima Heroina Maria Aragonia auſpice, à tenebris reuocauit, noſtriſq; mentibus amiſſum reſtituit theſaurum, pretioſa eruditionis ſupellectile, ditatum, quod dictæ Mariæ Aragoniæ Principi hac comitatum epiſtola ſacrauit.

Cum ob mortalium ſalutem è tenebris hoc de Puteolanis non vulgare Opus (quicunq; fuerit author) eruere ſtatuerem. Quò gratiùs eſſet cunctis hominibus, tuo Numini nuncupare placuit, MARIA Aragonia euphoniæ cauſa, reuera Arogonia, omnibus vtilis, ſalutaris omnibus. Ex inuictiſſimis Gothorum Regibus genus ducens, inuictiſſimi Ducis coniux, Filij Parenti ſimilis Mater, egregiè de Te ipſa triumphans, omnium deniq; Virtutum exemplar. Quis te non reuerebitur, & colet, hoſtemque metuens non imploret? Veneror ego, vt poſſum, hoc munuſculo, non ſecus ac vetuſtiſſimi ſolebant Deos, aris Agna impoſita, aut oblatis Primitijs. Fero quàm poſſum opem Vitæ tuæ, alioqui æternitate digniſſimæ, quæ earum Aquarum præſidio quotannis impendentes morbos arcet, conflictantes eliminat, ac abolet. Tuoq; Nomine omnibus (niſallor) pre- *ibidem.*

derimus. Qui qualemcunq; vtilitatem sentient, Et acceptam referant, cuius amplitudo, ac splendor ad hunc laborem me suscipiendum impulit.

Tandem Franciſci Lombardi vitam, ac virtutem, à Scipione Mazzella erudito alioquin viro, ſequenti elogio decoratas reperio.

in anti. Puteol. *Franciſcus Lombardus Neapoli ex honeſtis quidem parentibus ortus, cùm animum Græcis, Latiniſq; literis, humanioribuſq; præceptis imbuerit, philoſophiæ, ac medicinæ adeò exquiſitam nauauit operam, vt & diligentia, & ingenij acumine, & τὸ ἄκρον vt aiunt ſtudiorum, earumq; diſciplinarum deueniret, & facilè omnes antecellens primas in diſputationibus haberet. Vt ſuis tandem, & conſanguineis, & amicis morem gereret (eo ſanè ingenio præditus erat) ſe doctoratus inſignibus magna cùm omnium admiratione exornauit. Cùm verò optimè perſpexerit præſtare animvbus mederi, quàm corporibus, ſe ſacræ Theologiæ ſtudijs dedit, ac breui ſingulari ſapientia vir euaſit: cumque ad tantum dignitatis gradum aſcenderet, poſt habita rerum humanarum cura, diuinarum amore verè, vehementerq; flagrare cœpit, ſeque ſacerdotio inſigniuit. Ob vitæ verò integritatem, ſummamque doctrinam Seripandi Cardinalis ampliſſimi, doctiſſimique beneuolentiam comparauit, eiq, valdè chaꝛus fuit, magniſq; pollicitationibus ad eum ſe contulit, moxque Neapolitani Archiepiſcopatus Canonicus creatus eſt. Cnm eo poſteà ad Tridentinum Concilium, in quo non mediocres laudes conſequutus eſt, ſe recepit. Reuerſus autem Neapolim tantus*

tus Cardinalis morbo correptus diem obijt, & Franciſcum maximo affectum dolore reliquit. Hic verò vix lacrymis parens (tanta eſt mutuę beneuolentię vis) manſuetioribus muſis operam dedit, multoſq; annos ijs inuigilans ſtudijs exegit. Scripſit doctiſſime complura opera, quę Fr. Ang. Rocca in ſua Bibliotheca annotauit, interq; ea de Balneis Puteolanis opus aureum, Commentarijs proſequutus veterem librum, qui fortè in manus incident, ad ſtoτον de Balneis Puteolanis, illuſtrauitq; ſcolijs: lepidiſſimiſq; epigrammatis, Alcadinum, & Euſtachium imitatus conſperſit. Viuat ſęcula vir hic celeberrimus, ſaneq; quàm doctrinę, vitæq; ſpeculum, & exemplum, Chriſtianę fidei inconcuſſum propugnaculum, acerrimumq; prauitatis hęreticę flagellum, eumq; Deus Optim. Max. ad exceiſum dignitatis gradum euehat, fortunet, atq; beet.

Annis 1571. cum Regias hic gereret vices Cardinalis Ampliſſimus de Granuela, noſtrorum balneorum inſtaurationem, quam decem ſupra annis alij Proreges tentauerant, proſequi generosè ſuſcepit; ſed cum de ea inſtauratione, nil neq; nobis, neque ætati, quæ nos prœceſſit, conſtiterit, graphicaſque deſideremus æneas tabulas à Mario Cartario Viterbienſi excuſas, balneorum loca exprimentes, vt Baccius notat, vereor ne ob operis difficultatem, aliamuè ob cauſſam ab incepto deſtitiſſent; eo magis, quod Scipio Mazzella, ac Ioſeph Mormilis, qui parum ab eo tempore abfuere, cùm multa de re ſcripſerint, id omninò tacuerint, ac à Iulio Cæſare Capaccio, autho-

re non vulgari, tentatum fuiſſe opus, non autem exequutioni mandatum, notatum reperio, in decima ſuorum dialogorum die, his verbis, quæ Vltramontanorum genio latinitati donauimus.

Attamen gratias agere quamplurimas Cardinali Granuelę nos omnes debemus, qui tanta humanitate noſtra hæc balnea inſtaurare tentauerat, ſaltem vt in ipſis, collapſa iam, venerarentur antiquitatis monumenta. Negociumque quidem, ſubſequentibus verbis eſt memoriæ proditum ab eruditiſſimo Baccio. *Demum paucis ab hinc annis, recenti eius regionis incendio, quod initio libri huius retulimus, maiori ex parte balnea quoq; & quæ viciniora præſertim ad oram maritimam extabant, obruta graui cinere, ac ſubmerſa iacent. Quæ verò minus deuaſtata, ac minus lacera ex tanta clade remanſerunt; ea hodie haud inutiliter frequentantur, viſunturq; aliqua illarum deliciarum veſtigia, exaggerataq; rudi macerie Solia balnearum, cum picturis iam vetuſtate conſumptis, quæ varijs geſtibus iuuamenta, quæ indè ſperantur, videntur exprimere, vel quæ breuibus titulis earum virtutes ſubnotant. Harum ergo balnearum nos ſuis locis reuocabimus in lucem aliquas, ſperamuſq; fore breui, cùm ad id aliqua quoque illuſtrium Neapolitanorum principum cura adhibebitur, nec ſinetur ampliùs tantum vitæ theſaurum deliteſcere, donec inſtaurentur in totum. Quod factum eſt nunc poſt xiiii. annum, quo hæc ſcripſimus, quando Prorex Antonius Peronotius Cardin. ampliſs. de Granuella, primus in his reparandis auctor, ac poſt tertium*

de ther. lib.

annum

annum alij Proreges clariſſ. ac optimates à ſedibus conſilij, populiq; Neapol. inceptum opus proſecuti, loca hæc omnia inſtauranda, ac æneis tabulis Marij Cartarij Viterbien. graphicè exprimenda curarunt. Vt verè iam poſteri his ſolis figuris inſpectis, ac ſitus, cęliq; ac totius eius tractus maris auram contemplati, tantaq; Romanæ olim maieſtatis monumenta, templa, lacus, villas, theatra, ſacros Sibyllæ ſpecus, alioſq; intimos hinc inde receſſus, & balnearum, igniumq; conceptabula reputantes, vtq; ponte domitum mare, & via ſtrata ſubactum, agri deniq; ac vinorum miram fœcunditatem; iam non Theſſala Tempe, non hortos Heſperidum, aut maiores, quas fama iactet, mirari delicias; ſed verè fatebimur hic maximum naturæ, atq, artis fuiſſe certamen, nullis miraculis in toto orbe terrarum comparandum.

Andreas, nuper exaratus, Baccius Elpidianus apud Sixtum Quintum Pontificem Maximum peritiſſimus Medicus, ſummæque eruditionis vir; anno 1588. locupletiſſimam de thermis diſſertationem prelo torſit, ſeptem libris diſtributam, in qua Neapolitana, Puteolana, ac Baiana noſtra balnea paſſim deſcripta ieguntur, ac ſummoperè laudata, vt infrà cum de quolibet balneo ſigillatim ſcripſerimus, adductis locis, legentibus patebit. *dether.*

Scipio Mazzella, vt paulò nominatus ante bonarum litterarum cultor, anno 1594. librum typis ſubiecit de Puteolorum antiquitate Italico idiomate, cui addidit Latinum de balneis tractatum,

tum, placuit ergo ipſius, quam libello præpoſuit ad Lectorem epiſtolam hic ſubnectere. *Cum hæc Puteolanæ vrbis monumenta pararem, incidit in manus fortè meas libellus quidam ſitu, carieq; iam penè conſumptus de Balneis Puteolanis à Ioanne Eliſio Medico inſtauratus, & in lucem editus, cumque in eo nonnullos vetuſtæ editionis errores annotaſſem, illos, vt potui corrigere, atque emendare ſtudui, paucis omnino immutatis. Addere præterea volui ad iucundiorem lectionem omnium veterum Scriptorum teſtimonia, quos de his balneis ſcripſiſſe, aut meminiſſe comperi, vt maiorem hæc apud cunctos auctoritatem haberent. Perlege igitur hilari fronte amice Lector, vetuſtiſſimum hoc de balneis opuſculum, deſcriptioni huic noſtræ rerum Puteolanarum tempeſtiuè inſertum; laboremq; hunc noſtrum, & ſi puſillum, gratum tamen, vt mihi perſuadeo, curioſis, & vniuerſis, etiam ob balneorum ſalubritatem cognoſcendam admodum vtilem; boni quæſo, conſulere velis. Neap. idibus Nouemb. 1594.*

Iulius Cæſar Capaccius, Academicus Otioſus Neapolitanus, magnæ eruditionis ingenium, anno 1607. volumen Italo ſermone hominibus præbuit, cuius titulus, *La vera antichità di Pozzuolo*, in quo non pauca de noſtris balneis leguntur poſita.

Ioſeph Mormilis anno 1617. Italico item eloquio librum ſtanneo dedit characteri de antiquitate ſimiliter Puteolorum, in quo balneorum nomina, loca, atque virtutes notatę leguntur, cui

adiun-

adiuncto exasticho applausit Prosper Antonius Zizza Academicus Otiosus.

Siue Dicarchæos, & olente. sulphure campos,
Seu memoras vraÿs balnea sana malis,
Seu veteres thermas, doctæq; Neapolis oras,
Delicias, Vrbes, plena theatra, plagas,
Æternum resonabit ouans in secula nomen,
Et cum Parthenope fama uigebit anus.

Camillus Pellegrinus Capuanę antiquitatis, totiusque Campaniæ exactissimus dissertator, anno 1651. multigenæ eruditionis volumen item Tusca lingua, è prelo extraxit, cui inscriptio: *Discorsi della Campania felice*, in quo vbi Baiarum, Puteolorumque rem examinat, earum balneis, eas extollit.

Postremò Cœlestinus Guicciardinus, nouarum Terræ Laboris, externo dignarum oculo, rerum, peregrino hospiti humanissimus index; dum in suo Campano Mercurio, elapso anno 1667. bibliothecis addito Puteolanum, Baianum, Cumanumque litus cum eo collustrat; vix pauxillum deest; (adeo hac nostra die, nostrę hæ balneæ obsitæ, desertæ, ac obumbratæ erant, atque ab hominum experientia distauerant) vt earum innumeras, portentosasque virtutes, tot seculis Lydio, probatas, lapide, rigido nimium calamo, somniatas omnino non exaret.

Atq; ad nostram peruenimus ętatem, in qua præter eâ, quæ hactenus adduximus Scriptorum de balneis Puteolanis monumenta, rarissimis nota, & exilibus vt plurimum codicibus contenta,

ac præter publicam ab auis receptam, per verba, deperditorum tam ſalubrium balneorum, famam, nihil, aut vix aliquid, de tanto naturæ in hac noſtra regione theſauro, hominum memorijs ſupererat; cuncta enim balnea, non ſolum multis ab hinc annis, non frequentabantur; ſed neq; eorum meminerant quidem: aſſiduis quippe incendijs, terræmotibus, mariſque æſtibus, diruta, obruta, attumulataque adeo erant, vt vix vnius, aut alterius, dubia, & incerta perſpectarentur veſtigia; omnia collapſorum ædificiorum ruinis premebantur, ipſeque ruinę ſub frequentiſſimo filice, nemoroſque ſub frutice, fugitabant obtutum: noſtrates, & externos, qui è remotiſſimis prouincijs mirabilium Puteolanarum antiquitatum fama, anxij eò accurrebant, multoties curioſitatis pęnitebat inanis, nil niſi tumulos proſpicientes, ſpiſſo palmite, ſylueſcentes; ipſimet incolæ, deprauatis locorum nominibus, adeuntes confundebant, iam rem rei, iam locum ſubſtituebant loco; tantùm in Myrtetis, ſiue in Tritholino monte, hypocauſtum in ea regione, antiquitatis gloriam, & vſum ſoſpitem, retinebat, ad cuius rupis inacceſſam, repentemq; altitudinem, cum præceps iam factus eſſet aſcenſus, ad limen erat, vt ipſum quoque à frequentiſſimo, quem ſemper retinuit, vſu, omninò decederet. Hic famigeratę Cumanæ, Puteolanæ, ac Baianę erat regionis ſtatus; hic tot ſalubrium aquarum, apud vetuſtiſſimos quoſq; ſcriptores, laudatiſſimus vſus; hæc tandem amęniſſimæ telluris, ſtupendarum rerum feracſſimæ,

apud

apud quam vilis olim Theſſala Tempe, viliſſimi Heſperidum horti, iam erat facies; cum Maximus Heros Petrus Antonius Aragonius, vt in hoc regno Regias ſuſtineret vices, fauſtiſſimo omine elapſo anno 1666. noſtras has appulit ad oras, qui veluti ſuperno afflatus numine, ſæpe ſciſcitans de hoc balneorum naturæ theſauro; ea percunctanti Principi reddidere, quę de eis nos ſupra retulimus: obſtupuit ſane tam ſupinā Neapolitanorum incuriam Proregis Animus, neque ſatis vnquam fuit admiratus præteritorum Proregum conniuentiam, qui inextimabile huic regno gratuitum à natura preſtitum beneficium; in lethæum veluti gurgitem, mergi ſic negligenter permiſerant; heroicum interim mente ſua volutabat cœptum, quod circa, vt cuiuſque erat genij indoles, varia varij proponebant; quamplures difficile, ac laborioſum, ac non bene rem aliqui callētes, opus exiſtimabāt perfacile; nutauit aliquandiù; verùm, victis tandē animi magnitudine difficultatibus, cui rem cōmitteret, vt eam ad finem perduceret, inquiſiuit; ac placuit Magnanimo Principi, me alioquin tanto facinori imparem, ætate, ac doctrina inexpertum, rei domeſticæ, & medicæ negocijs occupatum, inter quamplures ciutiatis doctrina, ac ingenio præſtantiſſimos viros, ad operam pertentandam eligere; ego vt parerem potius, quam vt fiderem, rei curam ſuſcepi, ratus Principis Pietatem, ea miraculosè fore preſtaturam, quæ ob talenti mei exilitatem, in incepti complementum deſiderari fortè potuiſſent. Itaque

que collectis prius ſcriptorum, qui de re hactenus ſcripſere, ſententijs, vt quantùm poſſibile eſſet, inde locorum ordine, ac nominibus erudirer; regionem luſtrare vndequaque cœpi, vbi quidquid ſpe occultatæ rei oculos moueret, intentatum, & inexpiatum minime reliqui; ac integri anni poſt aſſiduos tam corporis, quam mentis, labores negocium pro voto ſucceſſit; etenim primò Strabonis teſtimonio innixus, ſalubrium aquarum, thermalium ſcatebras, ad varias morborum vexationes propulſandas, tam in Neapolitano, quam in Puteolano, ac Baiano agro, affluentes. mihi inueſtigandas propoſui, quarum varietates, cum Plinius ex diuerſitate foſſiliã ſalium, qui in ijs fouentur prouenire, non ſolum hiſtoricè, ſed philoſophicè nobis ſcriptum reliquiſſet, pretium, quoque operæ exiſtimaui, exactiſſimam ipſarum aquarum anatomen igne inſtituere. Poſtmodum cum elapſarum ætatum incuria, vel frequentibus Barbarorum in Italiam irruptionibus, peruetuſtus ille balneorum particularis receptus à maioribus vſus, iam perijſſet, eumque è tenebris eruiſſet Enrici Sexti Imperatoris Suevi temporibus Alcadinus, à re minimè alienum putaui, non quaſuis, ac fortuitas aquarum venas; ſed eas, quas Alcadinus deſcripſerat, ſub vetuſtiſſimis fornicibus latitantes, perquirere; vnum enim, & triginta ſub fortuitis nominibus balnea à viro Muſis amico, metro deſcripta leguntur.

Hæc

Hæc in Neapolitano

1 *Sudator. S.Germ.*
2 *Bullæ balneum*
3 *Astruni balneum*
4 *Foris cryptæ baln.*
5 *Iuncaræ balneum*
6 *Balneolũ seu Plagæ*
7 *Petræ balneum*
8 *Calaturæ balneum*

Hæc in Puteolano

9 *Subueni homini*
10 *S. Anastasiæ*
11 *Orthodonicum*
12 *Cantarelli*
13 *Ciceronis*
14 *Tripergulæ*
15 *Scrofæ*
16 *S. Luciæ*
17 *Arculi*
18 *Crucis*
19 *Succellariÿ*
20 *Palumbaræ*
21 *Siluianæ*
22 *S. Georgÿ*
23 *Pugilli*
24 *Tritholi baln.*

Hæc in Baiano

25 *Culmæ*
29 *Solis, & Lunæ*
27 *Gibbosi*
28 *Fontis episcopi*
29 *Braculæ*
20 *Speluncæ*
31 *Petrolij*

Ioannes Elysius, ceterique post Alcadinum, scriptores, balneorum numerum nouem alijs adauxere, nouiter tunc repertis, vel ab Alcadino prętermissis.

In Puteolano.

32 *Sulphurariæ*
33 *Fontanæ*
34 *Arcus*
35 *Rainerij*
36 *S. Nicolai*
37 *Ferri*
38 *Tritholi sudatorium*

In Baiano

39 *De Fatis*

In Miseno.

40 *Feniculorum*

Ita vt omnia sint quadraginta, horum præter ea, quæ sub pumiceo Monte, seù nouo, à Tripergulano incendio, anno 1538. tumulata, nostram aufugere industriam, reliqua iam in aperto

ſunt, neque erit, qui eorum admirabilem texturam, ornatum fornicum, locorumq; amplitudinem, in vetuſtiſſimis illis ædificijs, aſpiciat, quin præcedentium ætatum non criminetur incuriam, noſtrique Principis Pietatem, ad aſtra aſſiduò non efferat laudibus: ſunt ergo tumulata balnea.

In Puteolano.

Tripetgulæ	*Arculi*
Strofæ	*Kainerij*
S. Luciæ	*S. Nicolai*
Arcus	*Crucis*.

Quorum ſi ædificiorum loca diſperiere, me tamen non latuere venarum ſcatebræ, quas propè littus patefeci, atque non ſolum, vt iam dicta aſſequerer, me perpeſſus labor adiuuit, ſed etiam vt multa prêter expectationem mihi innoteſcernt: quippe præter balneorum loca, tentando, & effodiendo, nonnulla emerſere, plurimi facienda, tam naturæ, quam artis ſpecimina.

Interea euentus felicitas Noſtri Principis generoſitatem adauxit; etenim totius regionis aquarum ſcatebras inueſtigaſſe, earum varietates accuratè animaduertiſſe; quidquid intus inuiſibile fouebant, beneficio ignis, palam oculis expoſuiſſe; ædificia, ac balneorum vetuſtiſſimos fornices, ſub collaplarum vrbium ruderibus, tumulatos, aperuiſſe, ſat non fuit Magnanimo Heroi; verùm, non inquam, ruſtico vſui; ſed antiquiſſimæ illi ferè Græcorum præeminentię, magnificoque Romanæ amplitudinis apparatui, noſtras iterum reſtituere thermas, diligentiſſimè curauit: quippe

in-

intercalaribus parietibus, vt ſeparatim à viris mulieres balneis vterentur: conchis non ſolum efformatis, quæ manantes aquas exciperent; ſed alijs cæmento obductis, maioris commoditatis cauſa, cellulis, in quibus lecti ſternerentur, alijſque diuerſorijs rei balneariæ perquam neceſſarijs, ſingula balneorum loca, mirum in modum exornari, atque compleri, voluit; tandem cum in Baianum ſinum, in quo non exiguus balneorum eſt numerus, nullum eſſet hominibus terreſtre iter, ob eminentium collium præcipites cliuos; eòque cuchi per vndas, vt male diuitibus tutum, ſic egenis ob impenſam, impoſſibile; Ipſe cuiſcerato Tritholino monte viam aperuit; qua placido greſſu, per interciſum milliare, Baias vſque deſcenditur: Regium ſanè opus, ac venturis admirabile ætatibus: non ſecus, ac nunc nobis Herculea via, illis Aragonium Iter. Ne adulationis ergo, (quod obiter) Thermas Aragonias, Iter Aragonium appellauiſſe, mihi vitio vertant; prætereo quod quidquid vel egregij, vel magnifici, ſagax adulator ſimulare vnquam poſſit, vt principi blandiatur, verum ſemper erit de hac Regali proſapia; prætereo quod ſupra notauimus, Friderici Regis Aragonij Humanitate, thermas has fuiſſe quondam reſtitutas; ac Mariæ Aragoniæ munificentia, à Lombardo omnes balneorum horum ſcriptores in eruditam, collectos ſuiſſe, ſynopſim: ecquis erit, qui in dubium vertat, Aragonias eſſe Thermas; Aragoniam eſſe Viam? ſi antequam Aragonij noſtri Principis pro-

uidentia,hęc opera promoueret neque, via in rebus erat,neque thermales aquę ad hominum vſum, è terræ penetralibus effluebant. Tantùm ergò opus, totum tanto Principi debetur, eique Neapolitana Ciuitas, ac vniuerſus terrarum Orbis perpetuas debent gratias agere, qui inexhauſtas has ſalutis gazas, ac gratuitum à natura præſtitum theſaurum, iterum aperiri, & hominum languoribus exponi, tam generosè curauit, deditque operam vt noſtrarum thermarum loca, ſcaturigines, tempora, vſus, virtutes, calor, ſapor, contentaque in ijs foſſilia;geographica,topographica, hiſtorica,medica, phyſica, ſpagyricaq; lucubratione,publici Iuris fierent.Et quia priſcis,balneorum virtutes potius, quam loca deſcribere, curæ fuit, ob hoc poſteri, eorum monumenta perquirentes, vires in morbis depellendis, atque thermarum tantum vſum percipiebant; at vbi ſitæ eſſent ferè penitus ignorabant: ne autem in futurum id eueniret vt poſteritati conſuleret tanti Principis prouidentia ex piperino lapide tres celſas excitauit moles,quæ in eorum medio amplam marmoreamque tabulam continentes,indelebili,conſpicuoque caractere balneorum nomina, loca, & iuuandi proprietates perpetuo hominibus legendum ob oculos ponerent; harum vna, Neapoli Puteolos abeuntibus,ante oſtium cryptæ occurrit, quæ balnea citra Puteolos docet,in ſequentem diſpoſita modum.

Quiſ-

Quiſquis es, vel indigena, vel aduena, vel conuena
Ne inſolitus prætereundo horribile hoc antrum,
In Phlegræis Cãpanię cãpis, naturę obrigeſcas portentis
Vel humanæ temeritatis obſtupeſcas prodigijs:
Siſte gradum: lege, nam ſtupori, & admirationi aſſueſces
Neapolitanæ, Puteolanæ, ac Baianæ telluris balnea,
Ad omnes ferè morbos profligandos experta,
Apud omnes olī gentes, apud omnes ætates, celeberrima:
Hominũ incuria, medicorum inuidia; temporis iniuria,
Incendiorum eruptione, confuſa, diſperſa, diruta,
Obrutaque hactenus adeò ſtetere; (gia.
Vt vix vnius, aut alterius, dubia, & incerta ſupereſſēt veſti
Nunc Carolo II. Regnante:
Petri Antonij Aragonij regni Proregis
Prouidentia, Charitas, Vigilantia, Induſtria;
Inueſtigauit, diſtinxit, reparauit, reſtituit.
Siſte adhuc pauliſper,
Et ſubſtrati lapidis in litteras intuere,
Balneorum enim nomina, loca, ac virtutes habebis,
Ac lætior abibis.
P. P. A. D. MDCLXIIX.

HIc balneorum, quæ citra ſunt Puteolos, nomina, loca, virtuteſq; breuiter habentur; cætera, quæ de ijs deſiderantur, in volumine Thermologiæ Aragoniæ, Neapoli impreſſo eodem anno 1668, diffuſe ab vnoquoque legi poſſunt.

Primum eſt Sudatorium S. Germani, balneũ ſiccũ in argine lacus Agnani poſitum; ab hoc loco poſt trium milliũ paſſuũ iter, verſus Occidentẽ. Huius vſu, humorũ abũdãtia euacuatur, corpora

grauedine exonerantur, ilia ſanantur, vulnera profunda deſiccantur, podagrici, hydropici, & Gallici multùm iuuantur.

Secundum eſt balneum Bullæ, quod inuenies, ſi à Sudatorio Agnani poſt radices Montis Spini à ſiniſtra vltra procedas verſus albos, & aridos montes. Eius aqua caput mundat, oculos acuit, vterum purgat, & vlcera, ſplenem curat, & hepar.

Tertium eſt balneum *d'Aſtruni*, quod inuenitur dum à turri regia, quæ Agnano eminet, dicta *d'Aſtruni* in planum deſcenditur à dextra propè primum lacum. Eius aqua cerebrum recreat, læſis oculis ſubuenit, gingiuas ſtringit, dentes roborat, fauces exiccat, raucos ex rheumate curat, vocem clarificat, pectus lenit, vuulam eleuat, appetitum excitat, è ſtomacho faſtidia, & è membris pigritiam tollit, omneque rheumatis genus exiccat.

Quartum balneum eſt foris cryptæ, quod inuenies ſi poſt exitum ab hac crypta, per radices montis Pauſilypi verſus maris littus procedas, ibi enim 30. paſſuum diſtantia à mari, ac eadem diſtantia à montis radicibus, tumulus antiquus apparet, in quo Puteus eſt potabilis aquæ, quæ pota ignitos artus refrigerat, exiccata à febribus membra rigat, pulmonem læſum, iecur, & pectus ſanat debilitatem è ſtomacho tollit, tuſſi, & ſægræ cuti medetur, nocet tamen hydropicis.

Quintum balneum eſt Iuncaræ, quod inuenies, dum

dum poſt huius cryptæ exitum per regiam viam, qua itur Puteolos, ad maris littus pertingis, ibi in dextra eſt aquæ lauacrum, quod mentem lætificat, gaudia fouet, tollit ſuſpiria vltro venientia, venerem prouocat, & ad eam fortes efficit, renes conſolidat, ſtomacho prodeſt, & leſis lumbis; vires iecoris reparat, corpus pinguefacit, erraticas febres exterminat, prouidetq; nè cutis extenuetur.

Sextum eſt balneum Plagæ, ſeù Balneolum idictum, quod inuenies in dextra poſtquam à prænotato balneo Iuncaræ per 400. paſſus, rectam per viam proceſſiſti. Eius aquæ lauatio caput, ſtomachum, renes, cæteraque membra recreat, fugat nebulam oculorum, conſumptos, ac debilitatos reficit, materiam quartanæ, continuę, & quotidianę deſtruit, èx doloribus à quocumque morbo, vel febre procedentibus liberat, hanc aquam adeo ſalubrem experiebantur Neapolitani, vt ibi crederent eſſe Deum.

Septimum eſt balneum Petrę, quod poſt paſſus 23. poſt Balneolum in eadem via in ſiniſtra inuenies in ſubiecto littore ſub crypta. Huius aquæ lauatio ſcabiem mundat, petram frangit, vrinam prouocat, renes mundat, arenulas educit, caput à doloribus liberat, detergit ab oculis maculas, auditum auribus præſtat, & ſonitum remouet, cordi, & thoraci medetur, ac potus eius calidus ventrem purgat.

Octauum eſt balneum Calaturæ, quod à balneo Petræ per 20. paſſus procedendo in dextra

inuenies. Huius vnda faciem tergit, morpheam, & turpes notas remouet, cor lætificat, mentem firmat, ſtomachum roborat, crapulas præteritas digerit, appetitum promouet, tuſſim abigit, pulmoni leuamen præſtat, prouidetque ne phthiſis ex tuſſi parata procedat.

Nonum eſt balneum Subueni homini, quod per viam procedendo, ſub ponte in fine rupis Olibani, erecto, propè Puteolos reperies. Illius aqua animi triſtitiam, & defectum ſtomachi aufert, appetitum concitat, pulmonis, iecoris, ſplenis, & ventris tumidi onus leuat, vocem claram facit, antiquæ podagræ dat requiem, & omnem ſpeciem doloris tollit, excellentior tamen eius operatio in debilitatorum membrorum inſtauratione viget.

Decimum balneum eſt S. Anaſtaſiæ, ſiue Arenæ à Subueni homini 50. paſſibus diſtans, propè enim mare, excauata arena, vnda ſurgit, quæ igniti corporis recreat artus, eorum virtutes renouat, tollit è languidis ſymptomata, vel defectus ſi ipſius ſurgentis aquæ patiatur ardorem.

Vndecimum eſt balneum Orthodonicum, quod poſitum eſt ſupra Puteolos, poſt templum Diui Iacobi 36. paſſus verſus Orientem, inter antiquas ædificiorum reliquias. Eius aqua conſumpta febribus corpora inſtaurat, è ſtomacho nauſeam tollit, eumque reficit, ephemeras, & erraticas febres remouet, maxime eas, quæ parat æ ſunt ad phthiſim.

Duo-

Duodecimum eſt balneum Sulphataræ, ſeù Fori Vulcani, locus omnibus notus, cuius aqua, & fumus neruos mollit, viſum acuit, lacrymas, vomitumq; ſtringit, è capite, ac ſtomacho dolorem aufert, ſteriles fœcundat, febres cum frigore tollit, ſcabie infecta membra mundat.

Balnea trans Puteolos, in marmoribus, in littore propè moles Puteolanas, vt ea, quæ ſunt Baijs, in Via Aragonia, erectis, habentur.

Virgilij Maronis ſuper hanc rupem ſuperſtiti tumulo, ſponte enatis lauris coronato, ſic luſit Aragon. Ther. Auor.

Mantua me genuit, Calabri rapuere tenet nunc
Partenope: cecini paſcua, rura duces.
Ecce meos cineres tumulantia ſaxa coronat
Laurus rara ſolo viuida Pauſilypi,
Si tumulus ruat æternum hic monumenta Maronis
Seruabunt lauris lauriferi cineres.

Hęc in obeliſci albo marmore, ante cryptæ oſtium orientale, erecti leguntur.

Occurrit & altera moles in pago poſt Puteolos in via, quę Lucrinum, & Auernum ducit; quæ in albo etiam lapide, qui ſequuntur legendos exhibet caracteres, balneavltra Puteolos ad Tritholum vſque, connotantes.

Calo-

Carolo II. Auſtriaco regnante.
Prouidentia
Petri Antonij Aragonij Proregis,
Neapoli
Egenis hoſpitio,
Naufragis portu,
Hic
Infirmis, reſtitutis thermis,
Subuenit;
Sic
Vna pietas
Triplici flagello triumphat.
Salubritatem ſitientes,
Ad has aquas trans Puteolos manantes accurrite,
Quarum virtutes in ſubſtrato lapide contractę,
In volumine thermologiæ Aragoniæ,
Neapoli impreſſo A. D. M.DC.LXIIX.
Plenius leguntur.

PRimum Balneum eſt Cantarelli propè tres Columnas poſitum, eius aqua vlcera,& fiſtulas curat, catharros ſiccat,fluxus ſanguinis ſiſtit, prodeſt arthitridi,ferrum infixum,& oſſa fracta deducit, fungiturque in omnibus chirurgi munus.

Secundum Balneum eſt fontanæ ad latus Cantarelli, cauſat ſomnum, Ventrem lenit, lac multiplicat, infantes ſoporoſos facit, nauſeam ſtomachi remouet, indurata mollificat, renes purgat, educit arenulas, aperit Veſicam.

Tertium Balneum eſt Ciceronis, ſeu Prati, reſtitu-

tutum in radicibus montis noui, propè littus ſub via, eius aqua lippoſis oculis confert, eorum vlcera tergit, ab humoribus corpus alleuat, & toti corpori ſubuenit.

Sequentia Balnea vſq; ad ſubcellarium ſub monte nouo ſepulta remanſere, notantur tamen eorum venæ, quibus eiuſdem efficacię balnea, quæ extant in Tritolino, & Baijs ſubſtitui tutè poſſunt.

Quartum eſt Balneum Tripergulę, quod in littore 40. paſſus vltra illud prati, fluit, huius aqua aufert mentis defectum, cor exhilarat, alleuat corpus, ſtomachi varios dolores arcet, pedum grauitatem remouet, membrorum onera diſcutit.

Quintum eſt Balneum Arcus, quod 50. paſſus vltra illud Tripergulæ, in eodem littore manat, eius vnda conſumpta corpora reſtituit, ſtomachum confortat, Viſceribus confert exiccatis, non autem tumidis.

Sextum eſt Balneum Raynerij, quod 30. paſſus, vltra illud Arcus, adhuc in littore fluit, Scabiem, impetiginem, & ſerpiginem ſanat, putridum corpus mundat, cutim renouat.

Septimum eſt Balneum S. Nicolai, quod 40. paſſus poſt illud Raynerij in eodem littore ſcaturit, hoc debiles fouet, & vires reparat.

Octauum eſt Balneum Schrophæ, quod vbi deſinit mons nouus, & incipit lucrini plaga, in littore manat, preſtat eoſdem, ac Raynerius effectus.

No-

Nonum eſt Balneum S. Luciæ, quod inter lucrinum, & noui montis radices, excauando, inueniesaqua dolorem capitis, & iuncturarum aufert, oculorum ſuffuſiones recentes, & nebulas deſtruit, auditum præſtat, & ſonitum remouet.

Decimum eſt Balneum S. Mariæ, quod 50. paſſus vltra lucrinum in via, quæ ducit ad Auernum, excauãdo ſcaturit;eius aqua hepar iuuat,à nimia frigiditate, ac rheumate abſoluit, oculos ab opthalmia ſeruat, ſtomachum iuuat, ſomnum inducit.

Vndecimum eſt Balneum S. Crucis, cuius aquà in valle profunda,quæ à dextra remanet, dum in Auernum deſcenditur, ſcaturit; à podagra mirificè liberat, Iuncturas, neruoſque ſanat, phlegma in eis imbibitum expellit, tumorem Iecoris ſoluit, hypocondriacis prodeſt.

Duodecimum Balneum ſubcellarium à parte ſiniſtra antiqui, & ingentis ædificij propè lacum auerni fluens, pulmoni, Iecori,ſpleni, & ſtomacho medetur, pigras febres tollit, Vrinas retentas ſoluit, cutis vitia omnia curat,capillos prolixos facit.

Decimumtertium eſt Balneum ferri, ab altera parte dicti antiqui ædificij manans, quoſcumq; capitis dolores curat, ab oculis ſanguinem, omnemque labem abſtergit, auribus præſtat auditum, ſonitumque aufert.

Decimumquartum eſt Balneum Cryptæ palumbariæ, ſeu Sybillæ in altera lacus auerni parte,

eius

eius aqua caput, & renes sanat, vrinæ meatus aperit, nebulas ab oculis, & ventos ab auribus fugat, passiones stomachi, & cordis expellit.

Decimumquintum est Balneum Siluianæ, quod ab Auerno versum sudatorium Trituli venientibus primum occurrit, vteros ab humore expurgat, ab Infirmitatibus sanat, menstrua, vel deficientia, vel superflua, ad legem reducit, sterriles fœcundat.

Decimumsextum est Balneum Tritholi 50. passus post illud Siluianę, & immediatè ante ascensū ad sudatoriorium, hoc rheuma fugat, caput & stomachum confortat, podagram curat, hydropicos liberat, prohibet febres, & omnium Balneorum vices supplere potest.

Decimum septimum est Balneum S. Georgij, primum, sub ascensu, ad sudatorium positum, eius aqua lapidem frangit, & eijcit, vrinam prouocat, frontem, brachia, manus, Coxendicem, & pedes à doloribus tuetur, & podagræ succurrit.

Decimumoctauum est Balneum pugilli, secundum sub ascensu ad sudatorium positum, ani pondus tollit, attenuat hydropicos, caput, & splenem à doloribus liberat, à febribus cum frigoribus sanat, debiles confortat, & consumpta membra restituit.

Decimumnonū est Sudatoriū Tritholi in monte excauatum, quod humores euacuat, caput, & stomachum liberat, à rheumate curat, phlegma excutit, corpus alleuat, hydropicis, & poda-

dagricis confert.

Vigeſimum eſt Balneum petrolei, in quod, dum exis in viam nouam, per ſudatorium adapertam deſcenditur, ibi ſudatorium, & balneum reperies, quod omnes cutis maculas curat, cor exhilarat, groſſa membra ſubtiliat, artus mirabiliter roborat.

Et hæc in molis lapide albo in vico vltra Puteolos, erectæ, leguntur.

Eminet tertia moles in Thritholino monte in via Aragonia (ſemitæ Herculeæ ab eodem Principe ſubſtituta in dicto monte nouiter effoſſa) quæ in albo etiam marmore ſequentes haſce exhibet literas, balnea in ſubiectis Bais manantia, con notantes.

Semi-

Semitæ
In ſubiecti pelagi lubricitate
Furto ab Hercule aggeratæ,
Lucro à Cæſare Dictatore reparatæ,
Oſtentationi ab Agrippa reſtitutæ,
Æſtibus eiuſdem pelagi diſtectæ,
Hanc
Carolo II. Rege
In huius montis firmitudine,
Hominum ſalubritati reſtitutis thermis,
Petrus Antonius Aragonius
Subſtituit,
Quæ
Prudentiori excogitata Hercule,
Meliori deſtinata vſui,
Nec cæſares expectabit, nec Agrippas.
Per Aragoniam viam
Iter ꝑge viator ad Baias,eę enī nō luxui Thermas
Sed ſaluti paratas exhibēt,Marmor quas ſuppoſitū (docet.
P.P.A.D. M.DC.LXIIX.

PRimum eſt Solis, & Lunæ ab hinc poſt 100. paſſus in littore intra magnas ruinas, quæ hinc conſpiciuntur,eius aqua, omne genus guttę, omnem ſpeciem doloris tollit,vlcera plagas, & fiſtulas ſanat, è venis fluentem ſanguinem, ſiſtit, menſtrua reducit ad legem, ferrum extrahit.

Secundnm eſt Balneum culmę, quod 40. paſſus poſt illud Solis,& Lunę à dextra inuenies, oculis iuuat, pedum paſſionibus ſubuenit, neruos diſten-

diſtendit, puſtulas Gallicas, cuiuſcumque generis ſanat.

Tertium eſt Balneum Gibboroſi, quod procedendo per littus, à dextra, vbi ingens eſt antiquum ædificium 60. paſſus poſt illud culmæ inuenies, eius aqua, lapides, arenas, ſilos, vel humores impedientes vrinam à renibus trahit, ilia componit, Veſicam aperit, dolorem matricis remouet, fluxum ſanginis in mulieribus ſtringit, & adiuuat membra, quolibet morbo grauata.

Quartum eſt Balneum fontis epiſcopi, quod in maxima antiqua Therma poſitum eſt 50. paſſus poſt Gibboroſi à dextra, dum per littus vltra pergis, eius aqua multum confert podagricis, & cunctis doloribus iuncturarum.

Quintum eſt Balneum de fatis, quod, procedendo per littus, poſt 50. paſſus à fonte epiſcopi à dextra inuenis intus magnam, & antiquam Thermam; eius aqua roborat ſtomachum appetitum prouocat, nauſeam remouet, podagricis confert, prę omnibus alijs aquis ferrum abſconſum extrahit, omnia membra exhilerat, & ſcabiem illicò mundat.

Sextum eſt Balneum Braculæ, quod inuenies à dextra ſub monte poſt magnum illud antiquũ ædificium, quod vocant Truglio, eius aqua ſubtiliat fauces, raucam vocem clarificat, quem cumque capitis dolorem remouet, caliginem oculorum tollit, ſpleni, & Iecori medetur quartanam, Tertianam, & erraticas febres extinguit.

Septi-

Septimum eſt Balneum, ſpeluncæ quod inuenies, dum à Balneo Braculæ recta procedis per 40. paſſus, nam tres inuenies ampliſſimos fornices, quorum aqua Rheuma, & Tuſſim ſanat, hydropiſim fugat, accidentia cuiuſcumque guttæ remouet, confortat cerebrum, & eius potus calidus omnes hypocondriorum morbos curat.

Octauum eſt Balneum feniculi, quod inuenies in radicibus montis Miſeni, in medio vnius, & alterius maris poſitum, eius aqua lippoſos oculos abſtergit, eorum vſcera ſanat, maculas delet, viſum acuit, & clarificat.

Habes iam lector id, cuius te certiorem facere optabam, & Thermologiæ Aragoniæ titulus, quo operis limen decoratur, iam in animo tuo pollicitationum mearum adumbrauit ideam; nunc tibi non iniucundum fore exiſtimo, ea hic ſubdere quæ, tum ab antiquorum, cum à recentiorum monumentis excerpta, balneorum inſtaurationem opus non vulgare ſed Regum, Principum, potentiſſimarumque Rerum publicarum egregium, auguſtumque facinus ſemper fuiſſe teſtantur, ex hoc enim apparatu cognoſcere; facilitèr poteris, Petrum Antonium Aragonium Regni Neapolitani Proregem in hac thermarum Campaniæ reſtitutione plus quam in tot, tantiſq; alijs magnificè excitatis edificijs, quibus Neapolim decorauit, iure merito gloriari poſſe; quippe ærarium Regium reddere locupletiorem, Regni ſecu-

ritatem augere, ad oſtentationem Regiæ potentię ſuperbiſſima excitare ædificia, ipſius intereſt Principis, eiuſque vtilitatem reſpiciunt; at in thermarum inſtauratione, qua regijs ſumptibus populis ſanitas comparatur, ſummum elucet Regiæ liberalitatis ſpecimen. Accipe nunc ea, quæ Neapolitanus noſter Alexander ab Alexandro in omni literarũ genere conſumatiſſimus ex antiquis bibliotecis de thermarum vſu, deque earum inſtauratoribus collegit. *Sed quia de balneis mẽtio facta eſt, nõ omittendum balnea apud maiores nocte, aut ante auroram nulli patuiſſe, vtque ſine metu cuique lauare liceret, à primis tenebris ad auroram ſequentem clauſa fuiſſe: ſiquidem noctu lauare veteribus interdictum erat. Hadrianus verò Cæſar ante octauam, niſi valetudine laboraret, publicis balneis neminem admiſit. Tempuſque lauandi à meridie ad veſperam deſtinauit (quo tempore proſtare meretricibus permiſſum) lauacraque pro ſexibus ſeparauit. Alexander poſtea Seuerus, ne quid populo incommodaretur, nocturna conceſſit balnea, oleo pro luminibus præbito. Quæ cum antea promiſcua eſſent viris æquè, & mulieribus, ipſe poſt Antoninum Philoſophum lauacra miſta ſummouit, ſæpeque cum populo in thermis vna lauit: quod de T. Veſpaſiano legitur, vt plerumque in thermis admiſſa plebe lauaret. Et licet à primis originibus, cum pauca eſſent balnea, & nullius cultus, Romani rarò lauarent, brachiaque, & crura labore fatigati tantum abluerent, & toti niſi in nundinis lauarent: tamen poſt aliquot ætates balnea, & thermæ publicis vſi-*

bus

bus multimodæ fuerunt, magna mole, & ſumptu conſtructæ Alexandrino, & Numidico marmore, latis ſpecularibus, mira cælatura, & arte. Nam præter Agrippinas, Neronianas, Veſpaſiani, & Titi, celebrantur Domitianę, Alexandrinæ, Gordianæ, Seuerianæ, Aurelianæ, & Conſtantinianæ, ſolidiſſima ſtructura, & ſumptu profuſo: Conſtatque Marcum Agrippam, vt populo placeret, centum ſeptuaginta balnea ſeu lacus in prouinciarum formam, Romæ gratuita præbuiſſe: in quibus etſi calda prius abluerent, poſtea vt à balneis corpora multa frigida ſtringerent, conſtitutum ferunt, nec prius vngi, niſi lauiſſent: cùmque pro ſingulis olim daretur quadrans diuus Antoninus ob popularem gratiam balneum ſine mercede exhibuit. Commodus verò imperator tanto ſtudio balnea proſequutus fuit, vt ſeptiesatque octies diebus ſingulis lauaret. Quod de Gordiano, & Galeno proditum eſt, qui æſtate quinquies, hyeme verò bis in die lauare. Illud certè ſatis conſtat, Carthaginenſibus diſtincta fuiſſe balnea patriciorum, & plebeiorum: moremque præualuiſſe, vt in quibus patricij lauabant, ad illa plebeij non accederent Græcis verò contrà: nulla enim diſtincto ordinis, fuit, aut perſonarum: diuites nanq; cum pauperibus lauare, & patricios cum plebeijs nullo diſcrimine licebat. In quibus tanta plerunque hominum cuiuſque ordinis concurrebat turba, vt balneatores, ſi vulgi maior vis ingrueret, pertæſi frequentiam, ærę grannm quod, vertigines facit., carbonibus inijcerent, vt tędio odoris diffugerent. Germani verò non in balneis, ſed fluminibus lauabant.

Ideò nandi periti, & ſummi vrinatores habiti. Si-quando tamen lauarent balneis, calda abluebantur, Dardanis, & Illyrijs ter ſolum lauare permittitur, primo ſcilicet natali die, ſecundò in nuptijs, tertio in obitu cuiuſque. Luſitanis frigida. tantum lauare licet, ſicut Spartanis, quibus calda corpus abluere vetitum eſt: quos quum Apollonius Tyaneus molles, & vnguento delibutos videret, aduocatis ephoris balnea interdixit, ſenectam hominum calida appellans balnea. Cumque Epheſij balneis præpoſitum lapidibus appeterent, quod illa non calefeciſſet, ſummopere reſtitit cum frigida lauare ſatius duceret. Æthiopes Macrobÿ fonte abluuntur, in quo loti, perinde ac oleo vncti, membris agiles fiunt, & violam olent. Scythę nullo fonte lauant ſed vxoribus aquam fundentibus corpora ſcrabro lapide conterunt, cupreſſo, & thuris ligno confricantes. Aſſyrijs licet lauare diebus ſingulis peculiare ſit, tamen à coitu, & in morte præcipuum. Apud Celtiberos verò obſeruatum eſt, vt in balneis non aqua, ſed lotio diu ſeruato lauent, denteſque & gingiuas pumicent quod & Cantabri factitarunt, hanc optimam curationem, & exhauſtis viribus mirè proficere arbitrati.

Subdere hic quoq; dignum eſſe putaui Magni Caſſiodori epiſtolã, qua Theodericus Rex Aponon balneum, in tractu Patauino, inſtaurari, & ad vſum redigi Regia munificentia, atque liberalitate Aloiſio Architecto commiſit.

ALOI-

ALOISIO ARCHITECTO THEOD. REX. XXXIX.

De reparatione balneorum, quæ virtute vigere multimodâ deſcribuntur.

SI audita veterum miracula ad laudem noſtræ clementiæ volumus continere (quoniam augmenta regalis gloriæ ſunt, cùm ſub nobis nulla decreſcunt) quo ſtudio conuenit reparari quod, & noſtris oculis frequenter conſtat offerri? Delectat enim ſalutiferi Aponi meminiſſe potentiam: vt intelligas quo deſiderio cupimus reficere, quod de memoria noſtra neſcit exire. Cæruleum fontem vidimus, in formam dolij concauis hiatibus æſtuantem, & fornaces anhelantium aquarum circunducto tenuilatio. Naturæ probabili diſpoſitione, coronatas, quæ licet, more calidæ, nebuloſos vapores exhalent, hanc tamen iucundam perſpicuitatem aſpectibus humanis aperiunt: vt quiuis hominum illam gratiam deſideret contingere, etiam cùm non ignoret ardere. Ore pleniſſimo, in ſphæræ ſimilitudine, ſupra terminos ſuos aquarum dorſa turgeſcunt: vnde latex tanta quiete defluit, tanta quaſi ſtabilitate decurrit, vt eum non putes creſcere, niſi quia inde aliquid rauco murmure ſentis exire. Veniunt aquæ per algentes meatus tali feruore ſuccenſæ, vt poſt recurua ſpatia, quæ arte facta ſunt longiora, in calores ſint maximè rediturę. O magiſtri mirandum ſemper ingenium, vt naturæ furentis ita ad vtilitatem humani corporis temperaret, vt quod in origine dare po-

terat mortem, doctiſſime moderatum, & delectationem tribueret, & ſalutem, iuuat videre ſecretum, latices vapores igneos exhalantes, amicum vndis indeſinenter ardorem, & calorem venire decurſu riui, vnde vſualiter ſolebat extingui. Meritò dicunt Philoſopi, Elementa ſibi mutuis complexionibus illigari, & mirabili coniungi fœderatione, quę inter ſe contraria intelliguntur varietate pugnare. Ecce madentem ſubſtantiam vapores producere conſtat ignitos, quæ mox ad thermarum ædificia decora peruenerunt, illis à cautibus vnda deſcendens, & aenra ſua qualitate ſuccendit, & tactu ſit habilis, cum recepta fuerit in lauacris: vnde non tantùm delitioſa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur. Scilicet, ſine torm ento cura, ſine horrore remedia, ſanitas impunita, balnea contra diuerſos dolos corporis attributa. Quę ideò Aponum, Græca lingua, beneficialis nominauit Antiquitas, vt cauſam tanti remedÿ eger cognoſceret, cùm de tali nomine dubium non haberet. Sed inter alia loci ipſius bona, illud quoque ſtupendum eſſe didicimus, quod vna fluentorum natura diuerſis miniſterijs videatur accommoda. Nam protinus ſaxo ſuſcipiente colliſa inhalat primæ celiulæ ſudatoriam qualitatem: deindè in ſolum mitigata deſcendens, minaci ardore depoſito, ſuaui temperatione molleſcit: mox in vicinum producta, cum aliqua dilatione torpuerit, multò blandiùs intepeſcit: poſtremo ipſo quoque tepore derelicto, in piſcinam Neronianam frigida tantùm efficitnr, quantum priùs ferbuiſſe ſentitur: non imitò auctoris ſui partici-

ci-

cipans nomen collega eſt cum viriditate gemmarum, vt ipſa quoque vitrei elementi colore perſpicua quaſdam tremens vndas quieta commoueat. Sed vt ipſum quoque lauacrum mundiùs redderetur, ſtupenda quadam continentiæ diſciplina in vndam, qua viri recreantur, ſi mulier deſcendat, incenditur: propterea quod ipſis altera exhibitio decora collata eſt: ſcilicet, ne ardentium aquarum fœcundiſſimum locum non crederent habuiſſe, vnde plurima largirentur, ſi vterq; ſexus vno munere communiter vteretur. Hæc; perennitas aquarum intelligendi præſtat indicium, per igneas terræ venas occultis meatibus, influens deintus, in auras erumpere excocti fontis irriguam puritatem. Nam ſi Naturæ fuiſſet illud incendium, ſine interitu ſubſtantiæ non fuiſſet amiſſum. Sed aquæ materia ſenſibilis, ſicut peregrinum contraxit ignem, ſic iterum natiuum, facilè recepit algorem. Præſtat & aliud adiutorij genus vis illa medicabilis: nam iuxta caput fontis ſcintilloſi, quendam ſibi meatum prouida Natura formauit. Hinc deſuper ſella compoſita, quę humanis neceſſitatibus in abſidis ſpeciem perforatur, ęgros ſuſcipit interno humore defluentes: vbi dum feſſi nimio languore conſederint, vaporis illius delectatione recreati, & laſſa viſcera reſicint, & humores noxia infuſione laxatos, vitali ariditate conſtringunt: vt quaſi aliquo deſiderabili cibo refecti, valentiores queant protinus inueniri. Sic medicabili ſubſtantię venit à ſulphure, quod calet, à ſalſedine, quę deſiccat. Talia poſteris non tradere, hoc eſt grauiter in longa ætate peccare. Quapropter an-

tiqua illic ædificiorum ſoliditas innouetur: vt ſiue in thermis, ſiue in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconſtrui. Virgulta quoque noxia importunitate naſcentia, eunlſs ceſpitibus auferantur: ne radicum quidam capilli paulatim turgentes, fabricarum viſceribus inſeruntur, & more vipereo prolem ſibi fœcunditate contraria nutriat, vnde ſe compago caſura diſrumpat. Palatium quoque, longa ſenectute quaſſatum, reparatione aſſidua corrobora. Spatium, quod inter eadem publicam, & caput igniti fontis interiacet, ſylueſtri aſperitate depurga. Rideat florenti gramine facies decora campeſtris, quæ etiam ardentis aquæ fertilitate lætatur: miroque modo dum proximè ſalem generet ſterilem, nutriat pariter, & virores. Sed non his tantum beneficijs Antenorea terra fœcunda eſt. Infert & alia, quæ multò grandius obſtupeſcas. Corda illa (vt ita dixerim) montium, in vicem ſecretarij, negocia contentioſa diſtinguunt. Nam ſi quis fortè pecus furatum pilis natiuis ſolito more ſpoliare præſumpſerit, vndis ardentibus frequenter immerſum, neceſſe eſt, vt antea decoquat, quàm emundare prœualeat. O verè ſecretarium iure reuerendum! quando in his aquis non ſolum ſenſum, ſed etiam verum conſtat eſſe iudicium: & quod humana nequit altercatione diſſolui, fontium datum eſt æquitate definiri. Loquitur illic tacita Natura, dum iudicat, & ſententiam quodammodo dicit, quæ perfidiam negantis excludit. Sed quis iſta conſeruare negligat, quamuis plurima tenacitate ſordeſcat? Siquidem ornat regnum, quod fuerit ſingulariter to-

to orbe nominatum. Et ideò pecunia, quæ tibi nata eſt, ſi opus non poterit implere ſuſceptum, quantum adhuc expendendum eſſe credideris, miſſis nobis breuibus, indicabis, Quia non grauamur expendere, vt tanta videamus ruris amœna cuſtodire,

Cæterum priuſquam huic prodromo finem imponerem grauiſſimorum Authorum ſynopſim, tum veterum, tum recentiorum, quorum de thermis reliquiſque naturalibus aquis, deq; balnearum vſu monumenta ad noſtram peruenere notitiam, præcedentibus annectere non piguit; vt ſi in rebus humanis aliquid poſſit celeberrimorum ſcriptorum authoritas, noſtra hęc thermologia hoc non defraudetur ſuffragio, atque illam, quam ex meis notis non ſuſcipit fidem, ex tot illuſtriũ virorum teſtimonijs hauriat.

Inter primos de huiuſmodi re ſcriptores magnum habemus Hippocratem, cui cum adſtipuletur Galenus, eiuſque traditiones ſuis commentarijs augeat, ſitque medicis plena tantorum virorum fides, non iniucundum tibi fore, lector, exiſtimaui ea, quæ in dictorum auctorum voluminibus de thermis, de reliquis naturalibus aquis, deque balneis ſparſa leguntur, *à Ioanne Antonio Sicco Cremenſi*, quaſi in breuiarium congeſta, vt laborem vitares, vt extant, in hunc prodromum transferre; *Sicci* itaque, de balneis ne prætermittas legere hoc pingue compendium.

DE

DE Balnis, tam naturalibus, & ſponte ſua naſcentibus, quàm de his, quæ arte, & induſtria comparantur, multa à veteribus ſcripta reperio. Ego verò ea duntaxat in compendium referre decreui, quæ maximè ad rem medicam pertinere videntur. Reliquis igitur omnibus prætermiſſis, qui hac de re copioſè ſcripſerunt, vnum Hippocratem, & Galenum ſecutus, variam balneorum naturam recenſere incipiam. Ac verò ea primò aggrediar, quæ domi vulgo parata erant: a propterea quòdhæc olim balnei appellationem ſibi vendicarunt. b Cum verò hæc ex aqua dulci, tum calida, tum frigida conſtarent, nos de calidis primùm, poſtea de frigidis diſſeremus, quoniã frequentiſſimus erat calidi vſus. c Sanè Hippocratis tempore penuria balneorum erat: d & in paucis domibus ea erant parata, quæ in balneis requiruntur: & idonei miniſtri non multi erant. Poſterior ætas balneis abundauit: e & plurimus eorum vſus fuit, non ſolum in ſecunda valetudine, ſed etiam in aduerſa: f vt & priuata, & publica balnea, non pauca extarent. g Tribus autem domicilijs balneum conſtabat: ex quibus primum paulò minus quàm frigidum erat: poſtremum, in quo lauabantur, vehementer calidum. alterum, vt ſitu, ita etiam temperie medium. tantò enim primo calidus erat, quantò frigidius poſtremo. in primò ſe denudabant, qui balneum erant ingreſſuri. in altero ſe vngebant. h ac propterea duas

a *Gal.7 de meſum. loca.1. & 11. metho. c.9.*
b *Ga.3. de ſani. tu ca.4.*
c *Ga.3. de hic q̃ in medi catri.co. 32.*
d *Hipp. 3.reg.acu.tex. 44.*
e *Ga.3. de ſanitu.ca.4.*
f *G. 16. de vſu par.c 1.*

g *Gal.* 10. *meth. cap.* 10.
h *Gal.9.de ſim.med. cap. de calcantho.*

duas illas primas ædes græci προμαλακτήρια appellauerunt, quò in illis emolliretur corpus ante balnei ingreſſum. a has verò ei domui iungebant, in qua balneum eſſet. b In hac erat vas in quo lauabantur, quod noſtri ſolium, aut labrum appellarunt, græci πύελον, c nonnunquã δεξαμένην d ſæpè ἔμβασιν e interdum κολυμβήθραν vocarunt, propterea quòd in eo aliquando innatarent. f In lebetibus aquam calfaciebant, deinde per fiſtulas infundebant in ſolium. g Quòd ſi aerem optaſſent in vnaquaque domo neque ſummè calidum, neq; verò frigidum, ſed admodum temperatum, & modicè humidum, effundebant aquam temperatam liberaliter ex labro, vt in omnes domos decurreret. h In balnei ſtructura in id maximè animum intendebant, vt eius tectum non eſſet fumoſum, & via ad ſolium breuis eſſet, & ſolium ipſum humile & depreſſum, vt eius ingreſſus facilis ægrotantibus & egreſſus foret. non enim expedit ipſos fatigari. proinde balneum ita ſtruebant, vt paries, qui aquam contineret, neque ſublimis, neque anguſtus eſſet: cuiuſmodi eſt piſcina in balneis naturalibus, quam omnes ferè ita humilem & depreſſam conficiunt, vt pauimento adhærenti nihil emineat. i Sordes quotidie à balneis aphronitro, & k lutum abſtergebant. l Ingredientes in balneum primùm aeri calido occurrebant, deinde in aquam calidam deſcendebant, & hoc maximè pro priè balneum appellarunt. ab hac in frigidam, aſi

a G. 10. meth. c. 10.
b G. 3. regim. acu. co. 46.
c Co. 49. 8. meth. ca. 2. & 3. de ſani. tuen. cap. 4.
d G. 9. deme. ſe. lo. c. 11.
e Ga. 3. reg. acu. co. 47. & 10. meth. c. 10. & 3 de ſani. tu. cap. 4.
f Ga. 3. reg. acu. co. 44.
g G. 10. meth. c. 10.
h Ga. 3. reg. acu. 44. 46. & 47.
i G. 9. de ſim. me.

k Gal. in lib. de fals. die. co. 15.
l Gal. 10. meth. cap. 10.

Gal. 3. a regi. ac. co. 49. si modo bene valerent, accedebant. b postremo exudabant, c atq; sudorem strigili abstergebant. d Ægrotantium autem causa multas aquæ mistu-
b G. 10. meth. c. 10. & 2 de sim. me. cap. 24. ras paratas habebant: non enim ipsis licet in labrum frigidum absque detrimento ingredi: quoniam à frigidæ occursu offenduntur. vbi ergo calida egressi erant, perfundebant eos primò tepida, postea minus tepida, deinde ea, quæ plus adhuc
c G. 14. meth. c. 1. & 6. de sa. tu. ca. 6. ad frigidum vergeret. f Sanos in balneo detergebant medicamentis his, quæ sordes repurgant: cuiusmodi ea sunt, quæ & mordere, & siccare possunt. Ægros minimè tergebant, nisi sordidos
d Ga. 3. re. acu. 10. 49. & pruriginosos: quoniam repurgantia medicamenta balnei facultatibus & vsui summè sunt aduersa, quòd si detersorijs vtendum fuisset propter
e Co. 41. f G. 10. meth. c. 10. sordes, aut pruritum, illorum acrimoniam multæ aquę mistione retundebant: aut eorum vim dissolucbant, statim multam aquam calidam, &
g Ga. 3. reg. acu. co. 54. puram aliam post aliam perfundentes. e Lotos primùm sindone inuoluebant vna & altera, tum spongia resiccabant postea linteo: g caput inprimis
h G. 10. meth. c. 10. admodum diligenter, deinde artus, & alias corporis partes. interim verò minimè committebant
i Ga. 2. de sim. me. cap. 24. & 3. reg. acu. co. 52. vt pars aliqua diu nuda esset, ne eam frigus percuteret. h vbi resiccati fuissent qui eloti erant, vngebant se primò, deinde vestiebant. Ac verò nonnullos antiqui ante balneum aliquos in balneo; quosdam verò à balneo vngebant, ante balneum, quos vellent magis humectare. i in balneo etiam,
l Gal. 7. meth. c. 6. quorum corpora molliora laxioraq; efficere oporteretet cum sudor apparere incipiet. l à balneo

quos

quos digeri nolebant, ſed humectari. a eodem præſidio ab aeris iniuria qui loti ſunt præcipuè vendicantur. Vngebant verò ex oleo, a vel ſi olei penuria eſſet, butiro vti in pluriſque regionibus frigidis vſitatur. b Sed illud ſcire oportet abſtinendum ab vnctione his eſſe, quibus aut cruditas eſt, aut ſucci vtilis redundantia. c In ſanis ergo, frictio præcedat, & eadem ex oleo, deinde ſequatur exercitatio, poſtea balneum, tum abſterſio, mox, vnctio, poſtremò cibus. d Interdum etiam poſt exercitationem fricari oportet, deinde balneo calido vti. e Qui in frigida ſe lauant, vbi fuerint ab ea egreſſi, fricentur ex oleo, & tum cibum aſſumant. f Illud tamen præcipimus his qui balneo vtuntur, vt non confeſtim poſt balneum, aut cibum, aut potum capiant, ſed aliquo poſt intertuallo, dum orta ex balneo turbatio ſedetur: quod etiam poſt exercitationes eſt neceſſarium. replet enim caput cibus, & potus protinus aſſumptus, atque aliquando ſuperfluitat, g vinum ſi protinus à balneo bibatur ante alios cibos, aut potus, caput tentabit. h Ante balneum neque eſſe neque bibere oportet. proinde balneo nemo admittendus eſt, ſiue æger ſit, qui nuper, aut cibum, aut potum ſumpſerit. potu enim caput repletur. cibo trahitur alimentum ad caput, & in corpus vniuerſum, antequam ſit concoctum. i quam ob cauſam crudis inconcoctiſque humoribus corpus impletur, k & obſtructiones iecore gignuntur, l atq; rigo-

a Ga. 5. de ali. fac. c. 15
b Ga. 2. de ſimp. me. cap. 14.
c Ga. 6. de ſani. tu. ca. 5. & 8.
d Ga. in lib. de part. pi. exerci. cap. 4.
e Ga. 3. de ſani. tu. c. 4.
f Ga. 3. reg. acu. co. 56.
g Ga. in li. de ſalu. die. co. 12.
h Ga. 3. reg. acu. co. 55. et 1. de ſa. tu. c. 10.
i Ga. in li. de ma raſ cap. 19.

k G in li de ſalu. die co. 12. & 6. de ſa. tu. ca 3. & 14. meth. 16.
l Gal. in li. de tre. cap. 7. & 2. de ſympt. cau. c. 5. & 1. epid. co. 3.

a *Ga. 1. de sani. tu. c. 10.* rigores oriuntur: a quòd si cibum quispiam ante balneum assumat, à potu saltem abstinereis debet: si enim biberit, longè celerius in vniuersum corpus degeritur alimentum, quod est in ventriculo: hoc verò in his cauere oportet, qui sunt prorsus sani. b neque tamen committendum est, vt qui vires parum firmas habent post diuturnum ieiunium in balneum veniant: nam balneum post longam abstinentiam vires debilitat. Erit igitur idoneum lauandi tempus, cum pridem fuerit completa concoctio: c vt vel stomachus inanis sit vel in eo cibus existat, qui concoctionem iam sit expertus. d Ita ego illis diebus, quibus puto mihi non licere per visitationes ægrorum, aut ciuilia negocia, horis consuetis corpus meum curare, mane solum panem absque alijs obsonijs, & sine potu assumo, deinde balneum ad horas vespertinas differo. si enim dies sit tredecim horarum, quarta hora tantum panis comedo, quantum decima hora possit esse concoctum, & hac demum hora in balneum venio. e Et hę quidem obseruationes, quæ ad cibum attinent, his potissimum necessariæ sunt, qui perfectè valent. Sunt enim nonnulli, qui culpa non vacant, si corporis affectionem, & constitutionem respexeris: quibus cibum capere ante balneum præstat. f inter quos ij maximè numerantur, qui macilenti sunt. g Illa etiam non inutilis obseruatio est, quòd hi, qui balneo vsuri sunt, antea aluum exonerent: postquam igitur ostensum est, qua ratione balneis vterent: in sanis antiqui, proximum est, vt eorum

b *Ga. in li. mar. caf. cap. 19.*

c *Gal. 1. de sani. tu. cap. 10.*

d *Ga. 6. de sani. tu. c. 7.*

e *Gal. 1. de sani. tu. c. 10.*

f *G. 14. meth. ca. 16.*

g *Ga. 3. reg. acu. co. 59.*

vti-

vtilitates atque emolumenta exponamus. ſi prius tamen de vi, & natura aquæ pauca diſſerem s.

a Aqua dulcis, quæ pura eſt, & nulla alia re infecta, frigida eſt & humida, b ex ſe, & ſuapte natura: c & ob id ſemper humectat & refrigerat per ſuam eſſentiam. Quæ autem calorem extraneum eſt adepta, minimè ſeruat propriam facultatem: verum eò vſque calefacit, donec retinet calorem illum aduentitium: vbi verò refrigerit, denuo refrigerat. d neque enim ſimplex eſt, & naturalis, ſed quoquomodo compoſita: aut enim partem aliquam eſſentiæ ignis, aut omnino qualitatem aſſumpſit. Sed & quæ ſummè frigida eſt, abijcit interdum propriam facultatem: perfuſa enim iuuenili corpori, & quadrato, calfacit ex accidenti, propterea quod reuocat calorem. e quod enim haud per ſe calfaciat, id oſtendit, quòd primo ſtatim occurſu inſinuat frigoris ſenſum, neque calefacere percipitur, niſi cum à perfuſione ceſſaueris. f Quod verò humida exiſtat propria natura, g argumento eſt quæ prompte carnes corumpit, atque putrefacit. h Ob id etiam quæ concalefacta eſt ſummè humectat: cum tamen ſummè non calefaciat, niſi quæ maxime feruet. ac verò ſiue feruida ſit ſemper humectat: licet enim calidæ occurſu humores digerantur, tamen corpora eos continentia per eam madeſcunt, vn le molliora efficiuntur. nunquam igitur aqua non humectare poteſt, nec tamen ſemper refrigerat: nam quæ alienum acquiſiuit calorem calefacit, & humectat, præſertim inter initia i poſtea verò refrigera-

a *Ga. in li. de ptiſ*
b *Gal 1. de ſim. me. cap. 4. & 8.*
c *Ga. 1. de me. ſum. ge. cap. 6.*
d *Gal 1. de ſim. me. c. 4.*
e *Ga. 3. de ieiu. cap. 5.*
f *G. 1. de ſim. me. cap. 4.*
g *Ga. 2. de natu. fac. c. 9.*
h *Ga. 1. de ſim. me. c. 8.*
i *G. 1. ad glau. c. 9*

a Gal. 1. de sim me. co. 8

gerare poteſt, tum quæ facultate frigida eſt: tum etiam quæ aduentitio calore corpus laxatum, calore naturali immoderatius ſpirante, frigidius efficitur. hoc verò in ea, quæ temperatum calorem habet, perſpicuum eſt. ſi enim ea laues, aut perfundas partem quampiam, ſtatim calidiorem, & humidiorem efficies: deinde paulo poſt eadem frigidior erit: modò poſt calidæ vſum frigidam non adhibeas, qua corpora contrahuntur, ſtringuntur, & denſantur. b Igitur balneum aquæ dulcis ſemper humectat, ſiue calidum ſiue frigidum ſit. c quæ ſi temperatum ſit, humidam facultatem & calidam habet. ſi tepidius, frigidam, & humidam, ſi iuſto calidius, calidam, & non perinde humidam. nam neceſſarium eſt, vt in eo exhorreant corpora, & contrahantur inconſpicua eorum foramina: vt nec humorem externum admittant, nec per illa euocentur interna excrementa. d Quoniam verò balneum temperatum natura humidum eſt, & moderatè calidum, ob id qui æſtu detinentur valido, à nulla re promptius refrigerantur quàm ab eo. & qui vehemeter perfrigerunt, à nullo citius quàm ab illo calfiunt. nam eius humore madeſcit ariditas, quæ æſtu contracta eſt: calore verò frigus tollitur, quod ex gelu eſt ortum. e Cum verò per ſe aqua humectet, eadem tamen magis humectabit, ſi oleo permixta, & confuſa eſt, & quæ cæca cutis foramina ſubiuit, propterea quæ nullam habet anſam, vtique per oleum tenacior efficitur. f Hanc ob cauſam interdum in balneis confunditur oleum calidę aquæ, vt magis

b Ga. 1. de tẽpa. cap. 2.

c Ga. 3. de ſa. tu. cap. 4.

d G. 1. de vſu par. cap. 13.

e Gal. 2. de ſim. me. cap. 25.

f G. 5. de ſim. me. cap. 5.

gis humectent, & plus calefaciant a augetur. n. eorum calor ab oleo: quæ cum oleum ex genere eorum ſit, quæ nos æquè recalfacrunt, id etiam habet, vt & viſcidum ſit, & ægrè defluat, & meatus cutis inconſpicuos obſtruat. auget igitur calorem, tum corporibus oblitum, tanquam veſtimentum, aut operimentum: tum quæ cutis meatus obſtruens impedimento eſt quo minus calor vaporoſus poſſit multus foras effluere. Quam igitur dulcis aqnæ balneum humidum eſt, b vniuerſum corpus emollit, præcipue ſi temperatum ſit c ſomnum promouet, d potiſſimum ſi aqua calida liberaliter caput perfundatur. e ſitim ſedat & mitigat, f quanquam longa in eo mora eam accendere ſolet. g caloremque, & ſiccitatem remittit, quæ ex itinere ſub ſolis ardoribus confecto contracta fuerit, h modò temperatum ſit i ita nonnulli cum dictam ob cauſam eſſent perſiccati, & os aridiſſimum haberent, & ſiti ardentiſſima excruciarentur, vbi domum reuerſi eſſent, & balneum adminiſtraſſent, ſitire ſe deſijſſe, & os ipſis maduiſſe, ac vniuerſum eorum corpus abiecto priori ſquallore molle, & humidum eſſe effectum aſſeuerarunt. alij plenam fidem fecerunt, quæ perſpicue aquam ſenſiſſent attrahi in ſolijs ab eorum corpore, dum in balneo lauarentur. K demum perſiccatores quoſcunque aut à vigilijs, aut à curis, aut à venere, aut à cibis, vel à medicamentis ſiccantibus, aut ab ira, balneum humectat, & reficit. l & ſiccitatem

a G.2 *de ſim. me. ca.* 24.
b *Gal* 7. *met.c.*6.
c G.3.*de lo.af.c.*5 & 2. *de tẽp. c.*2.
d G.1.*de ſympto. cau.c.*8. & 2. *de medi ſe. lo. c.*1.
e G. 1.*de ſim. me. c.*7. *& in li. de his qua in me. co.*3
f *Ga.ĩli. de maraſ. c.*7.
g G. 10. *meth. e.* & 1. *de tẽpa. c.* 2. *& in li. de euchi. c.*13
h G.3.*de his q̃ in medica. co.* 15.

G quam-

i *G.6. Epi. co.*6.
K *G.ĩli. de maraſ. cap.*6.
l *Gal.*7.

a G. 1. *ad glau. c.* 14. quamcumque, ſiue cum calore, ſiue cum frigore coniunctam, emendat. a atque æſtum mitigat. b Idem eos, qui graciles ſunt, ad pleniorem habitum reuocat: c ſed in eo diutius eſſe non oportet. d ac verò pueris eſt vtile, e & calidioribus naturis. f & his, in quibus amarabilis affluit.

b *Ga. in li. de ſalu. die. co.* 14.

c *G. 6. de ſani. tu. ca.* 8. g ac verò his omnibus, qui temperamentum admodum calidum, & vehementer ſiccum habent: cuius cauſa fumos acres, mordaces, fuliginoſos, aggregant. hos ſi à balneis interdixeris protinus febricituros non ignorabis. vt vero hos iuuat balneũ temperatum, ita frigidum ſummè offendit, h quoniam cutem conſtringit, & comprimit. i His autem, qui frigidam, & humidam naturam habent, tantum abeſt, vt balneo vti neceſſarium ſit, vt etiam ſi ab eo abſtinuerint minimum offendantur. K Idẽ laſſitudines diſcutit, preſertim ſi oleum aquæ permixtum ſit: quæ & partes ſiccatas irriget ſuo humore, & acrem humorem euacuet calore. l Laxat vniuerſum corpus. m Vomitum facilẽ efficit: tum quę humores fundit, tum quæ partes intentas, & obduratas relaxat. n Quamuis autem balneum, temperatum, calefacere ſemper ſit aptum, & corporibus humorem adijcere, vti ſupra oſtenſum eſt, tñ accidit interdum, vt ex accidenti pro eius modo humoris curſum ad aliquas partes moueat: aut vires firmet, aut debilitet, aut molliat, aut concoquat. o quęcunq; enim mediocriter calefaciunt, ea concoquere ſunt apta. p & temperata quidem aqua

d *G. 1. de ſani. tu. ca.* 7.

e *Ga. 6. epid. co.* 4.

f *Gal. 8. met. c.* 7

g *Ga. 8. meth. c.* 2. *&* 6. *de ſa. tu. cap.* 3.

h *Ga. 3. de ſani. tu. c.* 8.

i *Ga. 5. de ſa. tu. cap.* 12.

K *Ga 2. de ſim. me. c.* 25

l *G.* 11. *me tho. cap.* 20.

m *Gale. 6. epi, co.* 5. n *Gal 3. de ſan. tu. cap.* 4.

o *Ga, 1, epi. co.* 3. p *G. 5. de ſim. me.* 9, *&* 10.

aqua omnium eorum, quæ perfunduntur, aptiſſima eſt ad pus generandum, potiſſimum ſi ei oleum addatur. a atque alios etiam effectus balnei videre licet, præter expoſitos. b nam vt & cibus in omne corpus diuidatur efficit: c & vt id, quod diuiſum eſt alendis partibus apponatur. d Calidum primum auget corpus, deinde adimit. e proinde vbi corpus implendum, eatenus in balneo commorari oportet, dum intumeſcat. vbi digerendum, & euacuandum eſt, dum tumor in balneo contractus ſubſidat. f Cutem cogit, & frigida, & feruida aqua, & habitum corporis ſpiſſiorem efficit. ob id qui nimia exercitatione inanitus, & atrenuatus eſt, primùm ſe in feruida lauare debet, vt aſſumptum alimentum foras non euolet: deinde in frigida tingere, ac in ea non diu morari, ne quàm ex feruente lotione vtilitatem percepit, longiori frigidæ occurſu abijciat. in frigida cum lauari non conſulo: quoniam periculum eſt ne ab ea ledatur, qui ob multam exercitationem, & rarior, & inanis eſt redditus. g Balneum euacuat. h æqualiter omnes humores, i & vacuationes quaſcunq; promouet, quod temperatum eſt. K præcipuè tamen partes cutaneas euacuat: neque videntur abundè eo euocari humores ſuperuacui, & inutiles poſſe, qui aut in carne, aut in partibus ſolidis exiſtunt. l ſi tamen frequens ſit, vtilium ſuccorum redundantiam curabit. m vtile etiam eſt, ſiue quis defatigatus ſit, ſiue incaluerit, ſiue perfrigeratus ſit, aut deſiccatus, ſiue faſtidium aliquod, aut temperiem inæqualem ſentiat. per id bona temperies

a *Ga. 3. de ſani. tu. c. 4.*
b *Ga. ili. de meraſ. c. 9.*
c *Ga. in li. de ſalu. die. co. 14.*
d *Ga. 2. de ſa. tu. c. 7.*
e *Gal. 7. metho. cap. 6.*
f *G 3. de ſani. tu. cap. 8.*
g *G. 14. met. c. 7*
h *Ga. 2. apho. co. 17.*
i *G. 11. met. c. 9.*
K *G. 3. apho. co. 15.*
l *Ga 13. meth. c. 6. & in li. de ph. cap. 10.*
m *G. 3. de cau. pul. c. 16.*

corporibus redit, vires meliores fiunt, opportunus quidam augetur calor, & aliquid per halitum digeritur vnà cum ſudoribus. a Vt enim pluribus partibus balneum conſtat, ita etiam variæ ex eo facultates exiſtunt, & plura emolumenta ex ipſo contingunt. nam primum balnei aer materias in vniuerſo corpore diſperſas concalfacit, & liquat, inæqualia exæquat, cutim laxat, & quæ ei ſubiecta ſunt euocat. deinde aquę calidę ingreſſus adijcit partibus ſolidis vtilem madorem. tum frigidę occurſu vniuerſum corpus refrigeſcit, cutis cogitur, & vires firmantur. perinde enim corpora noſtra frigidæ occurſu poſt balneum calidum afficiũtur, atque ferrum candens cum frigida tingitur. quin verò balnea inuenta ſunt gratia imbecillorũ corporum, vt ea præcalefaciant, & ad frigidæ ſolium præparent. Poſtremò tandem ſudor excitatus euacuat corpus, vt tamen refrigerando non noceat. Ac vt balnei vires generatim, & vniuersè colligam, quicquid fuliginoſum aut fumidum eſt in corpore per id elicitur: caro, & cutis ad naturalem moderationem reuocatur: ſolidæ partes arefactæ humeſcunt: calor tollitur frigidæ occurſu, non is tantum qui ex calida contractus eſt, ſed etiam qui ante balnei ingreſſum moleſtabat. Tot ergo emolumenta balneum promittit. b quo etiam vtebantur antiqui, vt & ſudorem poſt exercitationem, & vt puluerem eluerent. debet tamen illius vſus moderatus eſſe. c nam frequens corpora emollit, atque effœminat, d & ſi ſupra quam par ſit eo quiſpiam vtatur facile in febrem, e & præcipuè quotidianam in-

a *Ga. 10 meth. c. 10.*

b *Ga. 3. de ſani. tu. ca. 4.*

c *Gal. 7. de med. ſim. ge. cap. 1.*

d *Gal. 1. de febr. di. c. 3.*

e *G. 2. de febr. di. cap. 1.*

incurrit.a Potest etiam plurimus illius vsus,& potissimum post cibum, morbos humidos gignere. b Qui in balneo horrent ab eo abstineant,alioquin in febrem facile incident. c solet verò in illis horror excitari, qui crudis humoribus affluunt.calfacti enim hi humores à balneo, attenuatiq; & in spiritum versi, ad motum concitantur: & qui antea quiescentes non leserant, moti horrorem inferunt. d sæpius tamen in illis istud accidit, qui referti sunt acribus succis atque mordentibus, presertim si corporis habitum spissiorem habeant. e Quanuis autem balneum temperatum summè delectare soleat,propterea quàm per id funduntur quæ in nostris concreuerunt corporibus, quo maximè affectu exiitit in animantibus voluptas, tamen ne in eo quidem diutius esse expedit: sensim. n. fiet molestum, quia immoderatiore tandem fusione naturam nostram digeret, soluet, & dissipabit:ex quibus,& animi deliquium,& virium casus, & tandem mors consequitur. f Sed & aliam potiorem ob causam longa in balneo mora, &animi deliquium, & mortem afferre potest, quàm videlicet calor excedens hominem strangulat. trahitur enim spiritus calidus, non solum ore, sed etiam vniuersò corporis ambitu. quod verò non id accidat propter spiritus euacuationem, argumento sunt, qui morbos natura iudicante tota die exudant multò plus quàm in balneis, nec tamen animo deficiunt, aut præfocantur,vsq; dum spiritum frigidum foris attrahunt.

a *Ga. in li. de cau. mo. cap. 5.*
b *G. 11. meth. c. 20.*
c *Gal. 2. de sym. ptom. cau. c. 5.*
d *G. 10. meth. c. 10.*
e *Ga. 4. de sim. me. c. 2.*
f *Ga. in li. de vsu ref. c. 4. & 1 ad glau. cap. 14.*

Hactenus de balneo calido dictum sit, supereſt

de frigido ſermonem habeam. Antea verò quàm de hoc dico non inutile mihi videtur exponere qualis nã illius vſus in ægrotantibus fuerit. a Illud verò in primis non ignorandum eſt, vtile id eſſe in pleriſque morbis acutis: ac in nonnullis nunquàm non adhiberi, in alijs haud perpetuum eſſe hoc auxilium debere. b Atque illud in ægrotantibus præcipuè procurandum eſt, vt in balneum euntes minimè fatigentur. proinde eorum conclaue balneo iunctum ſit oportet: in quod etiam, ſi ex vſu erit, geſtari debent, ne itineris labore afficiantur. ob id quoq; facilem eſſe ingreſſum ad ſolium, & egreſſum volo. c In eo vbi æger fuerit, ſe ſe componat, taceat, nihil agat: ſed alij eum aqua perfundant, & abſtergant. d ita.n. illius corpus, & laxius, & mollius in balneo efficietur. e Sint ergo idonei miniſtri, qui eum liberaliter, crebrò, celeriter, aqua perfundant: ſic tamen, vt in hoc modus ſeruetur: niſi in his, qui plurima perfundi indigẽt. f neque à calido balneo in frigidum deſcendant: ſed primò tepidiore aqua perfundant, deinde minus tepida, poſtea paulò minus quàm frigida: neque enim frigidam abſque nocumento perferunt. Quòd ſi eos perfundi non placeat, in ſolijs aqua tepida plenis collocabimus. g Neque abſtergendi in balneo ægrotantes ſunt, vt ſupra diximus: aut ſi ad id impellimur ob ſordes, aut pruritum, abſtergentium medicamentorum acrimonia multę aquę miſtione retunda eſt: aut eorum vis ſtatim remittenda erit, multa, & repetita ſolius aquę calidæ perfuſione. h Sudor non ſtrigili, ſed ſpongijs deter-

a *Hipp. 3. reg. aeu. tex. 44.*
b *Text. & co. 46. & 47.*
c *Tex. 48.*
d *Ga. in eo.*
e *Text. & co. 44. & 50.*
f *Co. 49.*
g *Text. & co. 45*
h *Text. 51.*

tergendus est.a de quo etiam non ignorandum est, raro eò in morbis multo opus esse: quoniam sæpius vtimur balneo in ægrotantibus, vt eos humectemus, & vt partes immoderatius arefactas madore respergamus, quàm vt vacuemus eorum corpora. proinde non expectato sudore multo, in solij aquam statim demitti debent, deinde vbi ea egressi fuerint resiccari. Cibus eisdem obseruationibus dandus est, quas etiam in sanis attendendas esse diximus. b Qui balneis multum delectantur cum bene valent, & illis assueuerunt, bis quotidie possunt absque detrimento in morbis lauari, c & ter si opus fuerit. d immo verò à balneo interdici absq; nocumento nequeunt. e Vbi ter lauandum est, spatium quatuor aut quinque horarum interponi debet: vbi tertio balneo opus non est, longius interuallum adhibetur. f Si ergo omnia parata sint, quę ad balneum spectant, & certæ coniecturę ad id adhortentur, ad illius vsum te accinges. g sin verò aliquid desit eorum, quæ requiruntur in balneis, satius erit auxilium hoc, licet salubre, prætermittere: nisi enim ęgros diligenter laueris non mediocriter offendes. h In quibus verò balneum vtile est, in his plerunque ipso vtendum est eo tempore, quo concocti morbi signa appareant. i nam in his febribus, quæ oriuntur ex succis putrescentibus, ferè non laudatur nisi post concoctionem. k itaque in tertiana non exquisita haud statim inter initia cõceditur, sed cum iam apparuerint concoctionis inditia. l nec in destillationibus, aut grauedinibus, ante concoctionem. m nec in pleuriti, & pulmonis,

a *Ga. in co.*

b *Text. & co. 57 & 60.*

c *Gal. 7. met. c. 6.*

d *Hipp. 3. reg. acu. text. 57.*

e *Ga. 7. met. c. 6.*

f *Hip. 3. reg. acu. text. 62.*

g *Text. 44.*

h *Co. 61.*

i *G. in li. de marasm. c. 7.*

k *Ga. 1. ad glau. cap. 9.*

l *Gal. 8. met. c. 3.*

m *G. 3. reg. acu. co. 61.*

a *Ga. 5. de sani. tu. c. 12.* inflammatione, nisi concocto morbo, aut certe inanito corpore. a non enim balnei vsus periculo vacat, nisi corpus inanitum fuerit. b In tertiana exquisita etiam ante concoctionem vtiliter concedi- tur. c Ac verò in his febribus, quæ vel ab inflammatione, vel ab humorum putredine excitantur, minimè balneo vtendum est, antequàm nocens materia, aut euacuata, aut concocta fuerit. d Scire etiam licet non in omni tempore accessionis opportunum esse balneum in febribus, sed sæpius cum febris remittit: e siue inclinatio incipiat, siue in incremento sit, siue vlterius progressa fuerit. interdum etiam, licet rarò, in summo accessionis impetu. f cum enim accessio remittit, iam corpus mediocriter spirat: & ob id quidquid fuliginosum aut fumidum intus erat balneo euocatur. g Quam ob causam nec in accessionis principio, nec in incremento, rectè conceditur. nam his temporibus, & cutis est astricta, & quæ sub hac est caro spissa, & compressa. Solet verò balneum præcipuè in his morbis vtiliter adhiberi. h in diarijs quibuscunque febribus: inter quas illę balnei aere pręcipuè iuuãtur, quæ vel ob cutis compressionem, vel ob inguinum inflammationem fiunt genitæ. i Si ergo ex solis ardoribus, aut ex laboribus, siue ob cœca cutis foramina plus iusto astricta, febris inciderit, eam balneo potissimum curabis. nam in his febribus, & corpora spirare, & febrilem calorem digeri oportet. K In alijs diarijs haud longa in balnei aere mora esse debet, sed magis in aqua. l Vtile quoque in his febribus est, quæ ab humoribus est, quæ ab humo-

b *Ga. 1. ad glau. cap. 9*
c *Gal. 7. apho. c. 42.*
d *Ga. 8. met. c. 3.*
e *G. 10. metho. co. 10.*
f *G. 11. metho. ca. 20.*
g *G. 10. metho. cap. 10.*
h *Ga. 1. ad glau. cap. 3.*
i *Gal. 7. aphor. c. 42.*
K *Ga. 1. ad glau. cap. 3.*
l *G. in li. de ma- raſ. c. 7. & 11. metho. cap. 10.*

mo-

moribus putrescentibus putrescentibus excitantur: nam cum illa materia, quæ obstructiones fecerat, absterſa, dissectaquàm fuerit, eam balneum per vrinas, sudores, & aluum egeret, ac verò minimè calfaciet. a Verùm nec horror ex eo oriatur, nec vllum ex principibus viscèribus imbecillum sit, nec in primis venis existat copia crudorum succorum oportet, si modo prodesse debeat. potest enim horror non solum præsentem febrem intendere, sed etiam absentem excitare. imbecillæ partes magis recipiunt humores iam eliquatos: nam à calore balnei moderato, & succi eliquantur, & ipsorum itinera dilatantur. Humorum crudorum copia balneo diuiditur in corpus vniuersum. igitur si nihil istorum vetet, duo ex balneis emolumenta ægrotantibus proficiscentur: quòd aliquid euacuabitur de succis redundantibus: quàm multum spirabit caloris febrilis. nam balneum vacuat vniuersum corpus, ac eius fumos, & fuligines digerit. b In tertiana exquisita eo vtendum est: tum quòd ipso euocatur nonnihil flauę bilis, tum quòd eius qualitate plurimùm proficitur. humectat enī balneum aquæ dulcis, & potestate refrigerat. quòd si plurimum oleum aquæ immiscueris, longè vtilius erit. in qua etiam ægrotantes innatent absque detrimento licebit. In non exquisita tertiana idem auxilium admittitur, cum apparuerint concoctionis signa. c In quartana melius est ab eo abstinere. d Hecticæ autem febres quo efficaciore auxilio possint curari haud planè video. propterea in omni febre hectica, anteaquàm in marcorem transeat,

a *G. 11. meth. c. 20.*

b *Ga. 1. adglau. cap. 9.*

c *Ca. 11*
d *G. 10. meth. c. 10.*

a om-

a *G. ĩ li. de maraſ. c. 7.* a omni tempore balneis vti permitto, & conſulo : b niſi cum ea coniuncta ſit alia febris, quæ vel ex humorum putredine, vel ex inflammatione pendeat. c cum enim eiuſmodi complexus accidit, tantum poſt concoctionem balneum conceditur. d Verùm in propoſito ventriculi affectu, & in hectícis etiam febribus, danda maximè opera eſt, vt æger minimè in balneo fatigetur, ne illius vires diſſoluantur. Illud etiam non ignorandum eſt, non calidam in his febribus prodeſſe, ſed frigidam: adhiberi verò his calidum balneum, vt corpora ad frigidum præparet. e Scire etiam oportet, in his, qui vehementer perſiccati ſunt, balnei aerem non multum deſyderari : proindeque in eo his immorandum non eſſe. f Nos non paucos balneo curauimus, qui in marcorem planè incurriſſent, niſi hoc auxilio fuiſſent à nobis ab imminenti periculo erepti. Ac verò balneum vtile eſt in omnibus his febribus, quæ cum vehementi ſiccitate coniuncte ſunt: ſiue in corpore vniuerſo ſiccitas ſuperet, ſiue in ea parte, quæ quaſi febris eſt focus, & per ſolidas ſuas partes prima eſt immodice concalefacta. immo verò eiuſmodi febres magis interdum à balneo iuuantur, quàm à refrigerantibus medicamentis: modò non ex eryſipelate, ſed ex igneo tantum calore, ſint ortæ. in hectica enim quæ ex eryſipelate ſit, ſatius eſt à balneo abſtinere, & frigidæ aquę potu contra morbum pugnare. g In hectica verò ſtomachi quo nam præſtantiore auxilio, quàm balneo vti licuerit? In hoc affectu non modo lauari conſert, ſed etiam in aqua diutius eſſe,

b *G. 10. meth. c. 10.*

c *Ga. in li. de maraſ. c. 7.*

d *G. 10. meth. c. 10 & 7. met. c. 6.*

e *Ga. 7. met. c. 6*

f *G. ĩ li. de maraſ. c. 7.*

g *Ga. 7. met. c. 6.*

atque

atque innatare. debet autem aqua prorsus temperata esse: nam quę frigidior est, sensim frigore afficit debilia corpora: calidior cogit, constringitque cutis foramina, & spissat. nos autem ea remitti, laxari, & dilatari volumus: & aquam temperatam id præstituram pollicemur. a Rectè etiã in peripneumoniæ morbo atque pleuritidis, balneum administratur. mulcet enim lateris dolorem, pectoris, & dorsi: sputum maturat, & euocat. spiritum facilem efficit. lassitudines tollit. mollit enim articulos, & summam cutem, vrinamque promouet, & capitis grauitatem soluit, atque nares humectat. cum verò in febribus ardentibus vtiliter adhibeatur, multò tamen vtilius esse ipsum iudicamus in dictis morbis pectoris, & pulmonis. Denique non in his tantum sed etiam in plerisque alijs acutis morbis salubris est medicina. b Idem alui profluuium sistit. c vocem instaurat. d inueterata lienis vitia, & indurata sanat. impositio enim eo malagmate, quod authemeron appellant, à secunda hora vsque ad nonam, & duabus fascijs alligato, æger in balneum ducitur. in eo tantisper est, donec relaxetur. tum in calidæ solio longiori tempore, cruribus foras missis. post balneum salsamentum assumit absque pane, & vinum aqua marina mixtum bibit. insequenti die eadem dantur. in tertia exercitationibus incumbit, quibus spuns concitetur. & eadem die valetudini restituitur. e Vtiliter quoque in ophthalmijs eo vtimur. finit enim dolorem quamprimum, & sistit humoris cursum, propterea quàm maxima illius pars excernitur in balneo per vniuersum corpus:

a 3. *reg. acu.* 60.

b *Ga.* 1. *ad glau. c.* 14.

c *Ga.* 7. *de med. sim. lo. c.* 1.

d *Ga.* 9. *de med. sim. lo. c.* 2.

e *G.* 13. *meth. c.* 22.

pus : reliquum verò ad bonum temperamentum reuocatur.[a] Ac verò ſanat interdum ingentes oculorum dolores. ſi.n. ſit dolor ex craſſo ſanguine, qui in eorum venulis impactus obſtructiones faciat, auxilium eſt in balneo lauari.[b] Prodeſt & in capitis doloribus, quos aut vapores, aut humores ad caput elati, & in paruis cutis foraminibus impacti excitauerint. caput enim in balneo calida perfundendum eſt, vt non ſolum per id diſcutiatur, aliquid eorum, quæ ſunt in ipſo, ſed etiam ſomnus concilietur. In alijs capitis doloribus vitari debet.[c] preſertim ſi calidus flatuoſuſquàm ſpiritus ob humorum prauitatem ad caput feratur.[d] & in comitiali affectu, quemadmodum Eraſiſtratus ſenſit.[e] & in aquæ intercutem morbo.[f] & in eo animi defectu, qui oritur interdum in his febribus, quæ à magna ſuccorum crudorum abundantia ſunt genitæ. nam his à balneo eliquatis, & propterea per omnes corporis partes diffluentibus, periculum eſt, ne eorum impetus ad pulmones, aut ad cor, aut etiam ad cerebrum conuertatur. præſtat autem vt circa iecur, & in primis venis, ſubſiſtant.[g] Atq; in febribus à balneo abſtinendum eſt, cum in primis venis crudorum ſuccorum redundantia exiſtit: nam balneum eos digerit in vniuerſum corpus,[h] & ad partes extimas attrahit.[i] Alienum quoque eſt, vbi aliqua pars ex principibus imbecilla eſt, ſi inutili materia corpus abundet. nam humoribus ab eo eliquatis, & vijs patefactis, facile aliqua eorum portio ad partes infirmas confluit. poteſt tamen hac etiam ratione interdum in febribus vti-

le

a *Ga. 7. apho. co. 46.*
b *Ga. 2. de med. ſim. lo. c. 1.*
c *Ga. 4. reg. acu. co. 42.*
d *Ga. in lib. de phlo. cõ. Eraſiſtrati ſectatores*
e *Ga. 1. de ſim. me. c. 7.*
f *G. 11. met. c. 3*
g *Ca. 20*
h *Ga. 4. de ſani. tu. c. 6.*
i *Ga. 11 meth. c. 20.*

le esse: si enim pars aliqua ex his, quę minus prę-
stantes sunt, infirma existat, quemadmodum in po-
dagricis, & arthtiricis, pedes, & articuli vniuersi
corporis, humoris cursus ad partem infirmam
balneo concitatur. cum enim soleat superuacua,
& inutilis materia ferri absq; balneo ad partes in-
firmas, multò magis post balneum fieri id potest.
itaque receptis excrementis in partibus infirmis,
ægrum leuari contingit. a Abstinendum quoque
ab illius vsu, si hectica ex erysipelate sit. b & in ner-
uorum vulneribus: quoniam nerui consistunt ex
materia humidiore, quæ per refrigerationem, &
concretionem est genita: quodcunq; verò eiusmo-
di est dissoluitur, & putrefit ab his, quæ calefaciunt
simul, & humectant. c Idem in vlceribus alienum
est, d quoniam ea humectat, & molliora efficit. e &
quibus in morbis aluus fluit: nam reuellens ad
corpus vniuersum materias effluentes aluum sistit,
& propterea ledit. f ob id etiam vbi medicina da-
ta est abstinere ab eo oportet, siue purgare iam
cœperit, siue paulo post inceptura sit: quòd purga-
tionem retardat, g & ei obsistit. h Si cui anima de-
ficit propter multos sudores, huic balneum summè
nocebit. i Si sanguis per nares abundè profluit,
K aut alia quacunque ex parte, haud balneo vten-
est: l quoniam per id acriter irritatur. m tum quòd
ab ipso concalfactus funditur, & in vapores atque
in spiritus resoluitur, quapropter, & ad motum
incitatur, & in molem attollitur: tum quòd à cali-
dis balneis redduntur corpora mollia atque imbe-
cilla. cum igitur, & vasa molliora sint effecta, & san-

guis,

a *Ga. in li. de mar. c. 7.*
b *Ga. 6. met. c. 2*
c *Ga. 4. de med. sim. ge. 2*
d *Ga. 1. de sim. me. c. 7.*
e *Ga. 3. reg. acu. co. 59.*
f *Gal. 6. Epid. co. 5.*
g *Ga. 4. aph. co. 5*
h *Ga. 1. ad glau. cap. 14.*
i *Ga. 3. reg. acu. co. 59.*
K *G. in lib. de phlo. cō. Era. c. 9*
l *Ga. 1. ad glau. cap. 14.*
m *G. in lib. de phlo. cō. Era. c. 9*

guis,qui antea ipſa rupit, motum ſimul, & tumorem aſſumpſerit, fieri non poterit, quin ſanguis immoderatius effluat. a In quibus autem morbis minus ſanguinis fluit ex naribus quàm videatur ex vſu eſſe, aut nihil fluit, tametſi eum fluere expediret, in his liberali balneo vti oportet: vt ſanguis, qui eſt in capite, ma ore impetu moueatur. b Neq; verò committendum eſt vt qui vires infirmas habent in balneum veniant. c aut qui cibum faſtidiũt, & vomendi cupiditate tentantur. d verendum enim eſt ne hi quoque ex balneo ita fatiſcant, vt in eum animi defectum incurrant, qui oris ventriculi vitio interdum excitatur. Rectè etiam ab eo in illis abſtinemus, qui ructus bilem referentes edunt. e & qui in morbis nimiam ſuccorum, licet vtilium, redundantiam habent, f præcipuè ſi ſanguis timeatur fluxurus. Huiuſmodi fuit balneorum vſus apud antiquos,& in ſanis, & in ęgrotantibus. g in quorum penuria non inutile eſſe arbitror aqua calida corpus perfundere. Nunc ſuperęſt,vt de balneo frigido diſſeramus: h quo ſolo vſa eſt interdum priſca ætas abſque calidi interuentu, i ſæpius quidem in ſanis, rarò verò in ægrotantibus: nam hi frigidæ occurſum haud facile ſuſtinent. K Frigidum balneum in debilibus deijcit calorem,in fortibus auget. l Frigida conſtringit,m & repellit.n & licet per ſe refrigeret, tamen ex accidenti auget calorem: o nam ab ea calor naturalis in-

a *Ga.3. reg.acu. co.59.*
b *Ga.in li. de maraſ. ca.7.& 3. regi. acu. co. 59.*
c *Hip.3. reg.acu. tex. 59.*
d *G. in co.*
e *Ga.7. apho.co. 16.*
f *Ga. in lib. de phlo. cõ. Era.c.9*
g *Ga. in li.de his q̃ in m. co. 3.*
h *Ga.3. de ſa.tu. cap.4.*
i *G 10. meth.c. 10.*
K *G. 1.*

apho. co. 17. l *G.3.de ſa.tu. cap.8.*
m *Gal. 1.de me.ſim.ge.cap.6.* n *G.1.deſim.me.ca.4.*
o *Gal.prima aph. o.co.15.*

intro compulsus primùm se ipse colligit, tum longè validior quàm prius esset, effectus, iterum foras erumpit. a Ergo frigidum balneum corpus roborat, & cutem cogit, & contrahit: & propterea plurimùm vtile est aduersus externas offensiones.

a Ga. 3. de temper. c. 4.

b Sanè illius vsus presertim est tutus in optimis naturis: quod si ipsis detrimentum potest ex eo aliquod accidere, id totum ex subita consuetudinis mutatione erit. quocirca non alienum esse arbitror aliqua his præcepta tradere, quibus de eo securè vti incipiant. Qui frigido balneo, assuescere volet, hic non quolibet anni tempore; nec qualibet die, auspicari hoc debet: sed inter anni tempera deligat æstatis initium: vt toto hoc tempore, hyemem præcedente, maximè assuescat. dies autem, qua auspicaturus est, summè sit tranquilla, & pro tempore calidissima: atque eligatur ea hora, quæ & ipsa sit plurimùm calida, quemadmodum etiam gymnastrium summè temperatum. Qui verò balneo frigido vsurus est, ætatem agat ferè viginti quatuor annorum: augescentibus enim corporibus alienum est frigidum balneum, quoniam incrementum retardat: neque eum immutauerit vlla recens causa ea die, aut nocte superiore: neque pristina valetudo defecerit: sit animo forti, & hilari, si vnquàm aliàs, tunc præcipuè. primùm ergo fricetur linteis plurimùm: sit verò frictio vehementior, quàm superiori tempore, & eadem per linteos asperiores. quòd si manicas consutas manibus progymnasta obducat, & ita perfricet, illud, reor, non alienum erit, vt opus æquabilius fiat. Post id ex oleo fricetur,

b Ga. 3. de sanit. tu. ca. 4.

tur, vt ipſi conſuetum erat: tum exercitationibus operam det: quas nec plures, nec pauciores eſſe oportet, quàm ante; ſed tantum citatiores. Deinde in frigidam non cunctanter, & ſegniter, ſed promptè, & feſtinanter deſcendat: vel etiam totum ſe in eam ſubitò inijciat. in id animum ſemper intendens, vt aqua toti corpori, vt maximè id fieri poteſt, vno atque eodem tempore circunfundatur: qui enim ſenſim ei ſe commiſerit, in horreſcet. ſit autem aqua, neque tepida, neque cruda, aut egelida: nam illa reuocat calorem, hæc ferit inſuetos, atque perfrigerat. Quanquam enim tempore procedente hac quoque ei vtendum ſit, ſi neceſſitas exiget, tamen abſtinere ab ea oportet prima illa die. cum aqua egreditur, fricetur â pluribus ex oleo, vſq; dum cutis caleat: tum cibum largiorem quàm ex conſuetudine, potum verò pauciorem aſſumat. quæ vel te non iubente ipſe efficiet, modò omnia ſint rectè facta. nam poſtrea quàm in frigida lotus quis fuerit, & cibi cupiditas intenditur, & concoctiones meliores fiunt, & ſitis remittitur; poſtridie idem redibit ad exercitationes meliore planè corporis habitu: cuius quidem moles, licet priori par ſit, compacta tamen, & muſculoſior, atque vegetior erit: ſed & ipſa cutis, & durior, & ſpiſſior euadet. In hac die eadem ſimiliter ſunt agenda, vt in prima, & item in tertia, & in quarta: poſtea tempore procedente in frigidam quotidie bis deſcendet: ter autem id facere, tantum abeſt vt laudem, vt etiã ſuperuacuum ducam: cum liceat in eo commorari vſque dum lubeat. quandiu verò in eo ſit commoran-

randum,quotidiana experientia indicabit.Si enim frigida egreſſus cito coloratior frictionibus redditur, mediocriter eum eſſe in ea commoratum intelliges.ſi verò calor tardè colorque redeat, longioris moræ id planè erit ſignum. Si ergo cutem obſerues, facile dijudicabis, an pari tempore iterum ei commorandum ſit, an verò pauciore, aut longiore. a Cęterum cauere omnino oportet immoderatiorem in eo moram,quoniam facile ab ea poſſunt excitari frigidi morbi, b & preſertim neruorum diſtentio. c Germanicæ nationes nuper natos infantes, & adhuc calentes, ad fluuios ferunt: & in frigida,vbi vehementiores ſunt aquarum curſus,tanquam ferrum candes intingunt:vt & de eorum natura periculum faciant, & vt corpora firment. Nos eorum morem minimè probamus: quoniam ſi ab externo frigore vinci calorem naturalem acciderit,neceſſarium eſt eos continuò mori. Quis verò elegerit, modò mentis compos ſit, nec omnino efferus,aut ſcytha, in eiuſmodi experientiam proprium pignus adducere,ex cuius fruſtratione mors ſit futura, ex euentu verò tenue lucrum. His ergo obſeruationibus balneo frigido aſſueſcere debent,qui bene valent. d Qui optimum temperamentum habent,ac in iuuenili ætate conſtituti ſunt, ſi vnquam poſt exercitationes balneo indiguerint,vt ſudorem,& puluerem deponant, in eo non immorentur,quoniam calefieri ipſis non eſt opus: verum ad ſolium ſtatim ſe conferant,minimè in laconico commorantes,quemadmodum qui omiſſis exercitationibus ſe in eo elixant.immo

a *Ga. in lib. de cau.mo. cap. 3.*
b *Ga. in lib. de cau.procat. c.2.*
c *Ga. 1. de ſa.tu. cap. 10.*
d *Ga.3. de ſa.tu. cap.4.*

verò nec in piſcina morari his eſt neceſſarium, ſed loti ad frigidam properent. a Si iuuenis quiſpiam ſub ſole ardente iter longum fecerit, & propterea perſiccatus ſit, vt corpus vniuerſum aridum exiſtat, perinde atque ſtipula, & lingua cum faucibus adeo arida, vt loqui nequeat, huic proderit in aquam frigidam ſe proijcere: potiſſimum ſi vires validas habeat, & frigido lauacro ſit aſſuetus. Qui verò febri tenentur, horum etiam nonnulli à balneo frigido poſſent iuuari, modò naturæ eorum certam haberemus, & abſolutam notitiam. quòd enim aliqui eo indigeant, vel ex ijs, quibus id profuit, conſtare poteſt: qui planè eo non eſſent adiuti, niſi illo tempore ad id aptè fuiſſent parati. Verum quia nec à nobis exactè dignoſcuntur affectiones, & ſumma noxa ex errore impendet, propterea ab eiuſmodi auxilio ipſi nos continemus: & potiſſimum in hecticis febribus: quoniam in his habet corpus paucum ſanguinem, exiguam carnem, & nihil adipis. Proinde cum in iſtis nihil obiectum ſit partibus ſolidis, quod ſine moleſtia excipiat frigidæ occurſum, neceſſarium eſt, vt ea protinus occurrat partibus ipſis ſimilaribus, quibus omnia animantia actiones ſuas obeunt. Si quis iuuenis, plenioris habitus, æſtiuo tempore, in ſummo febris impetu, abſque inflammatione viſceris cuiuſpiam in frigidam ſe coniecerit, ei ſudor mouebitur, b aut bilis egeſtio. c quòd ſi in frigida lauari aſſuetus ſit, audacter admodum auxilio vtetur. His, qui febrem hecticam ex calida, & ſicca intemperie habent, & preſertim ſi iam maraſmum incurrerint,

a *G. 10. meth. c. 10.*

b *G. 11. met. c. 9.*

c *G. 10. meth. c. 10.*

tu-

tutum non eſt in frigidam ſe conijcere: quemadmodum nec his, qui æſtate calida, & ſicca, longo itinere confecto, macri, & debiles effecti ſunt, licet refrigeratione indigeant. Verùm vtendum his primùm balneo calido eſt, tum frigido. nam balnea inuenta ſunt, vti in ſuperioribus diximus, gratia imbecillorum corporum, vt ea præcalfaciant, & ad frigidæ ſolium præparent. ſimile quiddam faciunt, qui ſine balneo frigida vtuntur, cũ præmiſſis exercitationibus in eam inſiliunt: nam cuiuſmodi nobis eſt balneum, eiuſmodi eſt illis exercitatio. hęc verò non tantum calefacit, ſed etiam vt calor naturalis foras ex profundo moueatur, efficit: quo circa ſe opponit contra frigidę impetum, & quominus eadem in profundum violenter pertranſeat, & viſcus aliquod feriat, obſiſtit, & vetat. nam nec ipſam frigidæ ſubſtantiam peruenire expedit ad viſcera, nec vniuerſam ſimul eius qualitatem, & puram, illis occurrere: immo verò, & melius, & tutius eſt, vt ſola illa, abſque eius ſuſtantia, in partes primò occurrentes recepta, & ab his in alias ſenſim permanans, tandem in profundum feratur. Quanuis autem in hecticis eiuſmodi febribus balneo frigido vti non ſine periculo liceat, tamen præſtat anceps auxilium experiri, quàm certo exitio ęgrotantem dimittere. non enim ipſis medetur balneum calidum, ſed frigidum. calor enim extinguendus eſt, qui in partibus ſolidis inſedit. Quòd ſi ob frigus incuſſum viſcera offenſa fuerint, ea in poſterum calfacientibus perſanes licebit. a Prodeſt etiam in choleræ morbo in frigido balneo longio-

a *Ga. in li. de facil. parabi.*

ri tempore commorari : modò, æger quadrato sit habitu.

Cæterum si ex immoderato,aut parum opportuno balnei vsu , aut in viscеribus obstructio , aut animi deliquium inciderit , certis curationibus vtendum erit.[a] Solet , & iecur presertim, in his obstrui,qui balneo post cibum vtuntur : quod cum incidit , excitantur dolores absque febre in partibus obstructis . Hos quiescere oportet eo tempore,quo à dolore vexantur:& bibere aliquid eorum, quæ vrinam cient , & obstructiones aperiunt . nisi enim vrina moueatur,& flatus , & febres superueniunt.[b] Dandus igitur humor est , in quo absynthij coma extabuerit. & medicamentum id , quod ex absynthio, anisо, amarisque amygdalæ nucibus paratur : quod melius est bibant ex aceto mulso , postquam à somno excitati fuerint,atque surrexerint,ante quàm in balneum veniant. præstat enim hæc & alia eiusmodi sumere , cum alimentum ex ventriculo in iecur diuisum fuerit confectum : & temporis nonnihil dari ante cibum eorum actioni. Rectè etiam diacalamentum his datur, item ex aceto mulso.[c] Quibus in balneo diu immorandum est,hi acetum, & pulegium odorent , ne in animi deliquium incidant :[d] quod si effugere nequiuerint,curandi sunt per ea, quæ refrigerant , & vires firmant. Statim igitur aqua frigida aspergendi , & flabello perflandi, atque eò conuertendi sunt,quò aura aspiret : perfricandum quoque ventriculi os , & agitandum: postea[e], & cibum,& vinum , dare oportet. Verùm si ex frequentiore balneo nimia

[a] *Ga. in li. de salu. die. co. 32.*

[b] *G. 6. de sani. tu. c. 3.*

[c] *Ga. 9. de me. sm. lo. c. 2.*

[d] *Ga. 1. ad glu. ca. 14.*

[e] *Ga. 13. de sani. tu. c. 13.*

in

in cute raritas orta ſit, aliquandiu perfricare oportet: primò abſque pingui, deinde ex oleo quopiam aſtringente.a Si ex balneo prefrigido, & egelida aqua, nerui diſtenti ſiunt, vtile eſt potui caſtoreum dari ex aceto mulſo,b aut theriacam,c & vnguento ſamſuchino delini. d Si cutis tantum compreſſa eſt, primò aridis frictionibus, ſed celeribus, deinde ex oleo concalefacere oportet. Atque hæc de balneis aquæ dulcis dicta ſufficiant. e hoc tantum adiecto, quòd partem etiam aliquam interdum ſolam perfundebant aqua calida antiqui, verbi gratia caput tantum. f in fracturis hoc auxilio potiſſimum vtebantur, cum iam membrum coaluiſſet, ac ipſum ſoluerent, vt illud carne implerent, & mollius redderent tepidæ perfuſio, ſi moderata ſit, carne implet: ſi plurima, laxat, & attenuat. Si corpus pletoricum ſit, carne autem nudum, moderata calidæ perfuſio, neque molliet, neque carnem generabit, ſed replebit ſuperuacuo humore calefactam partem: ſin autem excarne ſit, & graci-le, ob alimenti penuriam, ſed humoribus minimè ſcateat, & carne implebit, & mollius efficiet. Aqua calida perfuſa, ſi corpus inane ſit, digerit potius quàm attrahat: ſi plenum magis attrahit, quàm digerat. Si pauco tempore perfundatur, replet magis, quàm inaniat. Si longiore, potius diſcutit, quàm impleat. cæterum vſus eſt fortaſſe aquæ perfuſionibus Hippocrates, propter balneorum paucitatem: mihi verò videtur aqua, in ſolijs balneorum iniecta, poſſe ad omnia ſufficere.

a *Ga. in lib. de theria. ad Piſo. cap. 9.*
b *Ca. 15*
c *Dioſc.*
d *Ga. 3. de ſani. tu. c. 13.*
e *Ga. 3. reg. acu. co. 59.*
f *Ga. 3. de his q in med. co. 15. idem. ferè. 7. met. c. 6*

De balneis naturalibus.

Supereſt vt de balneis natutalibus ſermonem habeamus: quorum aquæ ſponte medi atę naſcuntur.[a] neque verò ſunt ſimpliciter aut exactè aquæ, ſed mixtæ, compoſitæ, ſpuriæ. cum enim delabuntur, & ſtillant per loca bituminoſa, aut ſulfuroſa, aut nitroſa, aut aluminoſa, abradunt nonnihil illius materiæ, abſterguntque, & ſecum ducunt. Harum igitur aquarum quædam bituminoſæ ſunt, aliæ ſulfuroſæ, nitroſæ aliæ, nonnullæ aluminoſæ, quędam atramento ſutorio conſtant, quod græci chalcanthum appellant. [b] aliæ Miſy aut chalcitim habent. [c] in alijs ſalis qualitas euidens eſt. [d] ſunt etiam nonnullæ dulces: quæ nihil eorum, quæ dicta ſunt, guſtatui repreſentant. Neque ignorarunt antiqui eiuſmodi aquas, licet paucis in locis inueniantur. nam & in Aſia minore iuxta Pergamum ciuitatem erant clarę, quæ in Allianis naſcuntur: ita enim locum appellant, qui ab vrbe paulò plus quàm centum ſtadijs diſtat. ea aqua vnius tota eſt generiș, & manat ex vno fonte. erat etiam alia medicata aqua, à Pruſa minus quàm decem ſtadijs longinqua, quæ vnius generis non eſt, neque ab vno fonte enaſcitur. In Licetis iuxta Pergamum vulgatus erat fons, qui aquam medicatam præbebat.[e] In Lesbo, non plus ſtadijs quadraginta à Mitylene, aqua erat, colore, & viribus talis, qualis vtique fieret ſi aquę marinæ flos ſalis miſceretur. in qua, & digerendi vis erat, & fortiter ſiccandi. qua & hydropicis, & alijs tumidis, & obeſis corporibus medebantur.[d] In Italia habitæ ſunt in precio

Albu-

[a] Ga. 1. de ſim. me. c. 4. & 7.
[b] Ga. 1. de ſim. me. c. 6.
[c] Ga. 7. & 11. de ſim. med.
[d] Ga. 6. de ſapi. bu. c. 9.
[e] G. 14. meth. c. 15.
[d] Ga. 1. de ſim. me. c. 7.

Albularum balneæ, quę alumine conſtant. a Tragaſiæ verò aquę. & ipſæ ex numero ſunt earum, quę ſua inſita vi calent: ſalſę ſunt, & inſigniter calidæ, ac à Tragaſio ſtagno ducuntur, qui non procul eſt à ſiminthio. ſedet enim illic aqua multa, & ſtagnat, in loco minimè amplo, antea quàm aqua ſponte calida deriuet ab eo: illa æſtate abſumitur, tota à ſole ſiccata. quoniam verò inſita eſt eo loco ſalſedo, quod remanet ex eo, vniuerſum mutatur in ſalem; b In Paleſtina ſyriæ lacus eſt, quem alij mare mortuum appellant, alij ſtagnum bituminoſum: cuius aqua non tantum eſt ſalſa, ſed etiam amara. quoniam enim continetur in cauo, & calido loco, & torretur à ſole, iccirco amareſcit. quo circa amarior eſt æſtate, quàm hyeme: ac ſi ipſam quiſpiam per æſtatem repoſuerit in vaſe calido, & in loco aprico, continuò effici amariorem videbit. propterea in eodem ſtagno gignitur ſal perinde ſubamarus. apparet etiam eius aqua primo ſtatim aſpectu quauis marina albidior ſimul, & craſſior, meræ ſalſugini ſimilis. iniectus in eam ſal minimè eliquatur, propterea quòd ipſa plurimum illius habet. ſi ſe in eam quiſpiam conijciens emerſerit, videbitur continuò totus ſalis ſpuma reſperſus. ob id tantò eſt ea aqua alia marina grauior, quantò marina fluuiali: habet enim ſalis in ſe materiam, quę terrea eſt, & grauis. quapropter ſi te in eam demiſeris, non poteris in profundum ferri: ita extollit omnia, atque in ſublime eleuat: non quòd natura ſit leuis, quod iam prodidit ſophiſta quidam antiquus, ſed quemadmodum Ariſtoteli

b *G. 11. de ſimme. cap. de ſale.*

c *Ga. 4. de ſimme. c. 20*

placuit, quòd propter grauitatem geſtat leuiora, perinde vt lutum, itaque ſi vinctis pedibus, & manibus conieceris hominem in eam, haud ferri deorſum videris. immo verò ſicut naues portant in mari plura onera quàm in ſtagnis, aut in fluuijs, neque ſubmerguntur, ita in ſtagno mortuo multò plus poſſunt onerari, quàm in pelago. In eo, neq; animal quodpiam, neque planta gignitur, immò verò cum duo fluuij in illud confluant, in quibus pręgrandes piſces, & plurimi ſunt, ac in Iordane potiſſimum, qui prope Ierichontem fluit, nullus tamen eorum ſuperat fluuiorum oſtia: quòd ſi captos iniecerit in lacum quiſpiam, videbit celeriter mori. adeo cunctis, & animantibus, & plantis, aduerſum eſt, quod ſummè eſt amarum, & perſiccum, & quod ferè acquiſiuit ex aſſatione fuliginis naturam. quanquam ne illius quidem ſtagni aqua exactè eſt amata, propterea quòd nec ſal ipſe, quem ſodomeum vocant à montibus ſtagnò circumpoſitis, quos ſodoma appellant. a Non ignorandum autem eſt, ex aquis ſponte naſcentibus nonnullas eſſe temperatas, alias feruere, tepidas eſſe alias, & quaſdam omnino frigidas. b Eiuſmodi aquarum genera pugnantium facultatum conſtant miſcella. nam aqua ſuapte natura frigida eſt, & humecta. bitumen, ſulfur, miſy, chalcitis, & eius generis alia, calidam facultatem habent. c proinde tantùm recedunt à propria aquæ natura, quantùm ſunt adulteratæ. d Nullę igitur earum habent frigidam facultatem: argumentum eſt, quòd cum ſeruant ſuam naturam, neque frigus habent acquiſiti-

a *Ga. 3. aeſa. tu. cap. 4.*
b *Ga. 1. de ſim. me. c. 24*
c *Ga. in lib. de ptiſ. c. 2.*
d *Ga. 1. de ſim. me. c. 4.*

ſitiſium, minimè frigefaciunt: immo verò nec marina ipſa videtur admodum refrigerare, niſi cum ſummum frigus acquiſiuerit: quo circa non pauci iuuenes inuenti ſunt, qui eam interdum vnum diem, ſępe etiam die, & nocte, pertulerunt. e ſed & quæ dulces ſunt, licet inter alias videantur minimè calidæ, tamen non ſunt prorſus expertes calidæ facultatis: alioqui fortaſſe non eſſent calidæ. f Habent etiam ſiccandi vim quęcunque eiuſmodi ſunt: g & propterea ſiccant corpora eorum, qui in ipſis innatant, h & piſcatorum vlcera. i Eædem non tantùm calefaciunt, ſed etiam attenuant: potiſſimum quæ nitro, ſulfure, & bitumine conſtant. k Aluminoſę cutem aſtringunt, & comprimunt. l Balnea naturalia euacuant vniuerſum corpus, preſertim quę aquis digerentibus conſtant: m atq; detrahunt æqualiter omnes humores, potiſſimum nitroſa, ſulfuroſa, bituminoſa. n proinde quotannis nonnulli vere ipſis, & autumno vtuntur, vt ſua ipſi euacuent excrementa. o Vtiles potiſſimum ſunt calidioribus, & humidioribus naturis, in puerili ætate. quoniam eas maximè tentant ij morbi, qui aut ex humorum curſu, aut ex redundantia vtiliorum ſuccorum, aut ex putredine oriuntur. d Rectè etiam illius vtimur, ſi vlcus exiccandum ſit: ab ijs tamen abſtinentes, quæ acres admodum ſunt, & mordaces: nam hæ vlcera exaſperant. q vtiliter quoque in palpitationibus adhibentur, quoniam, & calefacere, et attenuare poſſunt. r Quę digerunt, &

a *Ga. 6. de ſani. tu. ca. 9.*
b *Ga. 1. de ſa. tu. ca. 7.*
c *Ga. in lib. de cau. mo. ca. 4.*
d *Hipp. in li. de humid. uſu. &* *C. 1. de ſim. me. ca. 7.*
e *Ga. in li. de tre mo. c. 5.*
f *Gal. 2. de criſi c. 13. &* *5. meth. ca. 2.*
g *G 14. met. c. 7*
h *Ga. 2. apho. co. 17.*
i *Gal. 4. de ſani. tu. c. 4.*
K *G. 6. de ſa. tu. ca. 3.*

l *Gal. de 1. de ſim. medic. cap. 7.*
m *Gal. in lib. de tremo. cap. 5.*
n *G. 14. met. c. 15.*

et fortiter ſiccant, obeſis corporibus medentur, quę attenuare oporteat. potiſſimum ſi in illis iſti ocyſſime innatent, et poſtquam in ipſis loti fuerint haud ſubinde bibant, aut cibum capiant, ſed antea dormiant, aut omnino conquieſcant. ſunt etiam hydropicis, et alijs tumidis idonea, a Et licet in aquæ inter cutem morbo aqua dulcis, et potui data, et in balneo adhibita, aduerſiſſima ſit, ſal ſuginoſæ tamen omnes, nitroſæ, ſulfuroſæ, et bituminoſæ, quàm maximè vtiles ſunt. Abſtinere verò ab illis oportet ſi ſitis adeſt, quoniam eam intendunt. b ſi affectus calidi ſunt, propterea quod calidam facultatem habent. c quòd ſi eryſipelati admoueris, partem eam adures. d In febribus minimè committendum eſt, vt in his aquis, aut etiam in marina, æger lauetur. e In exquiſita tertiana tantum abeſt vt proſint, vt etiam offendant. licet enim plus bilis euocent, quàm balneum aquæ dulcis, tamen plus obſunt ſua qualitate, quàm vacuando proſint. f Qui percalido temperamento, & admodum ſicco ſunt, atque vitioſis ſuccis redundant, ſi ſe in aqua aluminoſa lauerint, facile in febrem incurrent: propterea quòd cutis ab ea comprimitur, atq; conſtringitur: quapropter fumi acres, & mordaces ſpirare nequeunt, à quibus poſtea calor febrilis intus accenditur: cui aquæ dulcis balneo potiſſimũ ſuccurrere oportet. g Sunt etiam huiuſmodi aquæ voci alienæ, quoniam reſiccant vehementer vocalia inſtrumenta. h & capiti natura calido, calidiſq; exhalationibus pleno obſunt, quæ ſulfuroſæ, aut bituminoſę ſunt, propterea quòd calefaciunt: alumino-

a Ga. 1. *de ſim. me. c. 7.*
b Ca. 6.
c Ca. 4.
d G. 11. *met. c. 9*
e Ga. 1. *ad glau. ca. 9.*
f Ga. 8. *met. c. 2*
g Ga. 7. *de med. ſm. loc. ca. 1.*
h Ga. 6. *de ſa. tu. ca. 9.*

minoſæ quoniam aſtringunt. qui caput eiuſmodi habent,ex aquis ſponte naſcentibus, ijs tantum, quæ dulces ſunt,citra offenſionem vtantur licebit. nam ne has quidem ipſis profuturas aſſerere auſim: quoniam calidæ fortaſſis non eſſent, niſi calidæ facultatis nonnihil haberent. Eiuſmodi fuit vſus balneorum naturalium apud antiquos: n quibus conſtruendis, & conformandis non mediocrem curam adhibebant. [a] Illud verò in primis curabant, vt eorum ingreſſus, & egreſſus facilis eſſet,quo minus ægrotantes fatigarentur. propterea ſolium ita humile, & depreſſum plerique conficiebant,vt nihil il lius emineret pauimento. [b] Verùm ſi harum aquarum defectus ſit, eas arte pares licebit.miſcebis enim aquæ potabili ſalem abundè, aut alumen, aut aliud ſimile : quemadmodum vbi marina pręſtò non eſt, ſale aquæ indito muriam conficimus.[c] perinde etiam ſulfure iniecto ſulfuroſam efficimus, alumine aluminoſam, & aliarum quamcunque eodem modo. Quòd ſi ex alijs quibuſdam, veluti ex herbarum generibus, balneum aliquod artificioſum parare libuerit, illud etiam licebit.[d] nam id, quod coquitur, abijcit propriam qualitatem,& eam aqua in ſe recipit. Poſtquam balneorum naturalium facultates, & vſus generatim, & vniuersè expoſuimus, non alienum eſſe arbitror,proprias etiam vires vniuſcuiuſq; eorum, quibus dictæ aquæ conſtant,ſigillatim percenſere. ita enim dignoſcere facile licebit, quid ſingula præſtare, & quibus in morbis vnaquæque earum maximè poſſit conuenire.

[a] Ga. 3. *reg. acu. co.* 47.

[b] Ga. 1. *de ſim. me. c.* 4.

[c] Ca. 7.

[d] Ga. 3. *de ali. fa. c.* 32.

De

De Sale.

Primùm ergo à ſale, tanquam à re vulgatiſſima, auſpicabimur.a Cuius duo genera ſunt:alter enim gignitur in ſalinis ex aqua marina:alter foſſilis appellatur, in metallicorum genere comprehenſus. b Eſt etiam ſal quidam, qui ex aquis parum ſalſis areſcentibus generatur: c ex quo genere notiſſimus olim fuit tragaſius ille, non procul à ſminthio, cuius in ſuperioribus mentionem fecimus. Huius ſtagni aqua in loco minimè amplo concluſa,æſtate à ſole arefacta, vniuerſa abſumitur. ac verò quia locus ille ſalſuginoſus eſt, ob id quod relinquitur,omne in ſalem degenerat. d eiuſdem generis eſt ſal ille ſodominus appellatus,qui naſcitur in mari mortuo: in quo quidem ſale nonnihil præterea amaritudinis exiſtit.generatur etiam in multis alijs locis ſal eiuſmodi. e eſt autem eiuſdem generis cum marino. f Salis cuiuſcunque ſubſtantia, terrea eſt,& grauis: g Foſſilis tamen denſior, craſſior, h durior,& terreſtrior,quàm marini.i propterea marinus continuò in aqua eliquatur, non ſic autem foſſilis K Probatur ex foſſili candidus, lapillos non habens, perſpicuus denſus, æqualis.Peculiariter ammoniacum laudant,ſi modò findi facile poſſit,ac rectis ſegminibus diduci. ex marino eligendus eſt candidus,æqualis.Probatiſſimus in Cypro fit,& Salamine Cypri, & Salamine Cypri, & Megaris, in Sicilia,& Aphrica.Lacuſtris omnibus præfertur:in quo genere validiſſimus eſt Phrygius, tum tapeus ille,tum verò tritæus, aut gantæus appellatus.

a Ga.9. *de ſim. med.*
b Ga.4. *de ſim. m.c.20.*
c G.11. *de ſim. med.*
d G. 4. *de ſim. m.c.20.*
e G.11. *de ſim. med.*
f Ga. 4, *de ſim. m.c. 20.*
g G.11. *de ſim. med.*
h G. 4. *de ſim. m.c.21.*
i G. 11. *de ſim. med.*
K *Dioſ.*

a Om-

a Omne ſalis genus calidæ eſt naturæ : minus tamen calidus eſt,qui durior eſt, denſior que,atque terreſtrior:cuiuſmodi eſt ferè vniuerſus foſſilis.qui verò fragilis eſt , & laxus , calidior exiſtit , & qui ſubamarus eſt. b Salis etiam cuiuſcunque natura vehementer eſt ſicca. c ob id aqua marina ſiccat , d & muria : & in ipſis præterea caro ſeruatur incorrupta, ac minimè putreſcit. e eadem aqua non admodnm refrigerat. f Sal omnis abſtergit , digerit,aſtringit g leuiter, licet abundè calefaciat, reprimit,attenuat, cruſtas excitat. i Sodominus plus abſtergit ac digerit,quàm marinus,propter amaritudinem. K Sal medicamentis pſoras abſtergentibus miſcetur, Excreſentia in oculis reprimit, pterygiaque atterit , cæteras etiam carnis extuberationes aufert: In aluum clyſteribus inijcitur ex oleo illitus laſſitudines diſcutit . tumoribus hydropicorum medetur.dolores mitigat in ſaccculis admotus.Prurigines curat ex oleo,& aceto infrictus, donec ad ignem ſudent , & item impetigines , lepras,& ſcabiem.Ex melle, aceto,& oleo illitus,anginam leuat.illinuntur eo toſto,& melle tonſillę , & vuę.eo autem vſto, & polenta, vlcera in ore manantia,gingiuæ humoris curſu tentatæ,& vlcerum phagedenę . vtilis eſt aduerſus ſcorpionum ictus cum lini ſemine. contra ſerpentium morſus cum origano, melle, & hyſſopo. aduerſus ceraſten cum pice,aut cedria , aut melle. in ſcolopendræ morſu cum melle,& aceto.contra veſparum ictus , & crabronum ex ſeuo vitulino . & ex eodem albidas capitis puſtulas,thymos,& tubercula curat.furuncu-

a Ga. 4 de ſim. m. c. 21.
b Ga. 9. & 11. de ſim. me.
c Ga. 3. de ſim. me. c. 5.
d Ga. 2. de na. fac. c. 9.
e Ga. 1. de ſim. m. ca. 4.
f Ga. 9. & 11. de ſim. med.
g Ga. 6. de med. ſm. gen. ca. 2.
h Dioſc.
i Gal. 4. de ſim. m c. 20.
K Dioſ.

los

los diſcutit ex vua paſſa, aut ſuillo adipe, aut melle. maturius concoquit teſtium tumores cum origano, & fermento. medetur crocodilorum morſibus tritus in linteolo, & in aceto intinctus, ſi eo loca quaſi vinculis conſtringantur. rectè etiam eo vtimur ex melle, & in beſtiarum morſibus, & in faciei ſugillationibus. bibitur ex aceto multo aduerſus opium, & fungos. luxatis imponitur cum farina, & melle. ſi quis igne aduſtus eſt, huic prodeſt, ſale, & oleo vngi, hoc enim puſtulas excitari non ſinit. illitus cum aceto aut hyſſopo ſiſtit ignē ſacrum, & vlcera, quæ ſerpunt.

De Nitro.

a *Ga. 4. de ſim. m. c. 20.* a Eſt etiam Nitrum, & Nitri ſpuma, & Aphronitrum. b habent omnia tenuem ſubſtantiam. c Ac verò differt Aphronitrum à ſpuma nitri, quòd hæc ſimilis eſt aſpectu farinæ triticeę, & candida: illud farinę ſpeciem non habet, neque ſolutum eſt, ſed concretum, et conſiſtens: cuius eſt quotidianus vſus ad purganda balnea. Nitri ſpuma tenuioris eſſentię eſt, quà nitrum. d habet tamen, & ipſum partes tenues, e prę cipuè quod Berenicium appellant. f Aphronitrum partibus tenuibus conſtat, ſi in genere terreſtrium reſpicias: & in aqua facile ſoluitur. g illud excipimus, quod prauum eſt: id enim & durum, & craſſum eſt, neque in aqua facile eliquatur. h In omnibus ſumma eſt amaritudo. i Probatur maximè nitrum id, quod & leue eſt, & roſeum colorem, aut candidum habet, quod in foramina dehiſcit, quaſi ſpongioſum quiddam. eiuſmodi ex illyrico apportat, à Bumiorum ciuitate.

b *Ga. 3. de med. ſm. ge. ca. 2.*

c *Ga. 9. de ſim. med.*

d *Ga 6. de med. ſm. lo. ca. 1.*

f *Gal. 3. de med. ge. ca. 2.*

g *Ga. 4. de ſim. m. c. 21.*

h *Ca. 20*

i *Dioſc.*

Ni-

Nitri ſpuma eligenda eſt leuiſſima, gleboſa, friabilis, colore pene purpureo, ſpumoſa, mordens, cuiuſmodi ex Philadelphia Lidiæ afferunt. ſecundas partes habet ægyptia. gignitur etiam in Cariæ Magneſia.

a Omnia genera calida ſunt: nitrum tamen minus quàm nitri ſpuma,& aphronitrum,b propterea dictum eſt à nobis in ſuperioribus, nitroſas aquas calidas eſſe.c Ac verò nitri ſpuma eiuſdem eſt naturæ cum nitro, & facultatis, licet eſſentiam tenuiorem habeat. In omnibus etiam generibus vis eſt, qua perſiccare poſſunt: d & eadem quidem in aphronitro vehemens, quemadmodum etiam in ſale:ſed ſal præterea aſtringentem habet, e quæ in aphronitro aut minima eſt,f aut certè nulla.quò verò ſal plus aſtringit quàm aphronitrum, eò minus abſtergentis facultatis habet. Nitrum verò facultatem habet, quæ in medio conſiſtit inter ſalis, & aphronitri vires:g vſtum propius ad aphronitri naturam accedit.nam ex vſtione tenuius redditur.ſiccat igitur nitrum,& digerit.Idem ſi deuoretur,incidit, & attenuat, craſſos, & lentos ſuccos, multò vehementius quàm ſal. Aphronitrum, niſi magna neceſſitas incumbat, deuorandum non eſt,propterea quòd ſtomacho eſt infenſum, quando quidem etiam plus nitro incidat. Solebat eo vti ruſticus quidam, vbi fungi ſtrangularent, & ſemper proſperè. nos potius vtimur nitro, aut cõbuſto,aut eo,qui ignem expertus non ſit,& multò etiam magis eius ſpuma.

a *Ga. 4. de ſim. m.c. 21.*
b *Ga in li. de tre mo.c. 5.*
c *Ga. 9. de ſim. med.*
d *G. ca. de ſale.*
e *Ga. 4. de ſim. m.c. 20.*
f *Ga. 9. de ſim. me.c. de ſale. & aphron.*
g *Ca. de nitro.*

h In torminibus prodeſt nitrum bibere, cum cumi-

h *Dioſc.*

cumino tritum,ex aqua mulſa,aut ſapa,aut ex alijs quibuſdam,quę poſſint flatus diſcutere: cuiuſmodi ruta eſt,aut anethum. In febribus circuitu rèuerentibus illinendum eſt ante acceſſionem. Miſcetur tataplaſmatis extraheutibus, diſcutientibus, attecnuantibus, & lepras abſtergentibus. Si in auribus inflationes ſunt, ſi ex eiſdem ſanies iugiter decurrit, ſi ſonitus intra eas percipitur, vtile eſt nitri ſpumam, aut ex aqua calida, aut ex vino infundedere.ſi ſordes aurium repurgandę ſunt,eandem ex aceto inſtillari confert. ex aſinino,aut ſuillo adipe, medetur canum morſibus. Reſinæ admixta furunculos aperit.ſi aque intercutem morbus eſt adiuuat cum fico illita. ſi neruorum diſtentio affligit, qua caput ſcapulis annectatur, græci opiſthotonum appellant,& caput luxatum ſit,rectè eadem cum cærato illinitur. In linguæ reſolutione pani vtiliter commiſcetur.

De Sulfure.

a Eſt etiam ſulfur tenuis ſubſtantiæ, & calidæ naturæ. b ac verò attrahendi, & abſtergendi facultatem habet. c Idem diſcutit, & celeriter comcoquit,d & minimè repellit. Prodeſt eo vt aduerſus virus multorum animalium, & præcipuè turturis marini, & draconis. imponitur enim ictæ parti, aut aridus per ſe,aut ſaliua, vel oleo vetere, vel melle,vel terebenthina reſina reſolutus. ſanat cum eadem reſina ſcabiem, impetiginem, lepram: e & hanc poſtremam etiam cum aceto,atq; vtiligens. ex eadem reſina vngues ſcabros aufert,& ſcorpionis ictibus medetur. Idé vtilis eſt aduerſus tuſſim, aſthma,

a *Ga. 3. de med. ſm. ge. ca. 2.*
b *Ga. 9. de ſim. med.*
c *Dioſc.*
d *Ga. 9. de ſim. med.*
e *Dioſc.*

aſthma, purulentas excreationes, & ex ouo ſumptus,& ſuffitus.eiuſdem vſti fumo partus extrahuntur.In Regio morbo vtiliter fronti inſpergitur cochlearis menſura, aut ex ouo tremulo ſorbetur. grauedinibus, & deſtillationibus medetur. Sudores aſperſus cohibet. Qui pedum doloribus cruciantur,his illinendus eſt ex aqua, & nitro. Sanatur eo grauis auditus,ſi illius fumus per fiſtulam in aurem recipiatur. ſuffitus lethargicos excitat. ſanguinis profluuia ſiſtit. ſi aures fractę ſunt, ex vino,& myrrha illini confert. Prurigines vniuerſo corpore erumpentes cum nitro deterſius ſedat. a Alopeciam curat, aut ex liquido cærato, aut ex laureo oleo illitus.b Si neruus punctus eſt,optima medela eſt ſulfur, cum tetrapharmaco, c aut oleo mixtus, dum ſordium craſſitudinem, aut mellis ſpiſſitudinem faciat.d Probatur maximè qui ignem minimè ſit expertus, nitedulæ modo ſplendidus, pellucens,minimè lapidoſus, virens, præpinguis. Plurimus in Melo,& Lipara gignitur.

a *Ga. 1. de med. ſm. lo. ca. 2.*
b *Ga. 3. de ſim. ſm. ge. ca. 2.*
c *Ga. 6. met. c. 2*
d *Dioſ.*

De Bitumine.

e Bitumen naſcitur in aqua marina, & in alijs quibuſdam marinæ ſimilibus, vt in Apollonio Epiri,& in alijs eiuſmodi locis. multis aquis ſponte naſcentibus tanquam ſpuma inuenitur innatans, molle quidem eo tempore, quo ſupra aquam fertur, deinde verò exareſcens pice ſicca durius efficitur.Optimum generatur in mari mortuo, id ſtagnum eſt ſalſuginoſum in caua ſyria,de quo in ſuperioribus dictum eſt. f Probatur maximè iudaicum, & ex eo quod veluti purpura ſplendet, &

e G. 11. *de ſim. med.*
f *Dioſc.*

graue eſt,ac vehementem habet odorem. Nigrum, & ſordidum,vitioſum eſt.adulteratur pice,[a] quanquam credunt nonnulli, non poſſe ipſum vitiari. [b] gignitur in Phœnice,Babylone,Zacintho,& Sydone. liquidum inuenitur in Agragantino Siciliæ, fontibus innatans quo vtuntur in lucernis pro oleo. Naphtha babylonij bituminis colamen eſt, colore candidum,inuenitur etiam nigrum. ignem rapit,& in ſe mutat.Eſt etiam bitumen,quod mixtum eſt cum pice, & eius odorem ſpirat : quapropter græci id Piſſaſphaltum appellant. naſcitur in Apolloniatarum agro,circa Epidamnum. id ceraunijs montibus deuolutum impetu fluminis rapitur, eſtuque in littus expuitur. vbi cogitur in glebas.[c] Bituminis natura calida eſt,& ſicca,in ſecundo ordine. [d] Proinde in ſuperioribus dictum eſt, bituminoſas aquas calefacere noſtra corpora, & ſiccare.[e] Idem diſcutit,glutinat,& emollit,[f] neque verò aſtringente aliqua facultate caret . [g] Vſus illius eſt in ijs medicamentis, quibus recentia vulnera glutinantur, & in omnibus alijs , quæ ſiccare oportet, & moderatè calfacere. [h] Idem inflammationes oriri non ſinit.ſi vulua procidit, ſi ſtrangulat,auxilio eſt, olfatum,ſuffitum, impoſitum, ſuffitum detegit comitialem morbum.elicit mulierum purgationes ex vino , & caſtoreo epotum . datur vtiliter in tuſſi vetere.in ſpirandi difficultate.remedio eſt contra ſerpentium morſus.& coxendicum, laterumque dolores. datur cœliacis catapotium ex eo deuorandum . ex aceto potum diſcutit ſanguinem concretum. cum ptiſſana in aluum infundi-

[a] Ga.1. *de antido. c. 2.*
[b] *Dioſc.*
[c] G.11. *de ſim. med. & ex.5. de me. ſm. ge.c.21*
[d] G. *in lib. de ter.c.5. & 1. de ſani.tu. c.7.*
[e] *Dioſc.*
[f] Ga.1. *de ſim. m.c.33.*
[g] G.11. *de ſim. me.*
[h] *Dioſ.*

ditur, si difficultas inteſtinorum affligit. odor eius ſuffitus deſtillationes ſanat. dentibus dolentibus inductum, mitigat eorum dolores. aridum ſpecillo impoſitum replicat pilos pungentes. ſi pedum aliquis doloribus excruciatur; aut articulorum quorumcunque ſi lethargus eſt, vtiliter illinitur.

De Alumine.

a Aluminis varia genera ſunt, ſciſſile, rotundum, aſtragalote, liquidum, placites, plinthites. b Verùm & ſi plurimæ ſunt eius ſpecies, tamen maximè vtimur ſciſſili, rotundo, & liquido. c poſtremum hoc phorimon appellant: quod quidem vilis eſt precij, & in omnibus regionibus facile reperitur. In Aegypto naſcitur ferè omne aluminis genus, & in eiuſdem metallis inuenitur. gignitur etiam in alijs quibuſdam locis, in Melo, in Macedonia, in Liparis, Sardonia, Hierapoli phrigiæ, Aphrica, Armenia, & pleriſque alijs regionibus, rubricæ modo. Optimum eſt ſciſſile, & in hoc genere potiſſimum commendatur recens, candidiſſimum, guſtu per quam aſtringens, calculorum expers, non glebuloſum, ſed ſigillatim in capillamenta quædam caneſcentia dehiſcens: cuiuſmodi eſt, quod trichitis ob id appellatur, in Aegypto naſcens. reperitur lapis huic ſimilis, dignoſcitur verò guſtu, quia non aſtringit. In rotundi genere damnatur, quod manu eſt confictum: id figura prodit. Probatur quod ſuapte natura eſt rotundum, bullis turgens, quod ad album proximè accedit, quod vehementius aſtringit, quod præterea nonnihil habet palloris, cum quadam pinguedine, ſine harenis, friabile, natione

a Ga. 9. de ſim. med.
b Dioſc.
c Ga. de ſm. lo. ca. 1.
d Dioſc.

ægyptium, aut ex insula Melo. In liquidi genere
a *Ga.9. de sim. med.* optimum id est, quòd lympidum est, lacteum, æquale, succosum, sine lapidibus, & quendam caloris igniculum spirans. a Alumen omne crassas par-
b *Dioſc.* tes habet, minus tamen alijs scissile, deinde rotun-
c *Ga.4. de med. sim. ge. ca.6.* dum, & astragalotes: cætera genera liquidum, placites, plinthites, partibus abunde crassis constant. b Natura calidum est, c & siccum euidenter. d im-
d *Ga.5 de sim. me. cap. vltimo.* mo verò positum est in tertio ordine exiccantiũ, neque verò vrit. e Omne genus summè astringit. f vtilius tamen est scissile, quàm liquidum, cum astringente facultate vti est opus, propterea quòd
e *Ga.6. de med. sim. lo. c. 3.* partibus tenuioribus constat. g propterea cum aluminis mentio simpliciter incidit, scissile intelligitur. h immo verò alumen quodcunque græcè
f *Ca.1.* στυπτηρία appellatur, ab astringente vi, quæ in
g *Ga.4. de med. sim. ge. cap.5.* eo est vehementissima: i digerit etiam alumen, sed non summè, sicut summè astringit: k quia verò generosè astringit, ob id vlcera exiccat. l & prop-
h *Ga.9. de sim. med.* terea sanantur à scissili maligna vlcera. m Alumen ea expurgat, quæ caliginem oculis obducunt. genarum carnem, & cæteras excrescentias attenuat.
i *Gal.4. de med. sim. ge. ca.5.* Vritur & torretur quemadmodum chalcitis. putrescentia vlcera compescit. Sanguinis profluuia reprimit. gingiuas stringit, à quibus multus humor manat. Si dentes labant vtendum eo ex aceto: &
k *Ca.1.* melle. in oris vlceribus item ex melle. si papulæ
l *Ga.6. de med. sim. ge. cap.1.* erumpunt, si ex auribus humor decurrit, ex sanguinalis herbæ succo. incoctum cum brassicæ foliis, aut melle, medetur lepræ. Si prurigo est, si vngues
m *Dioſ.* scabri sunt, aut pterigijs tenentur, si perniones ma-

le

le habent, prodeſt ex aqua id illini. Ex aceti fece, & galla, quorum par pondus ſit, voracium vlcerum tamem cohibet. ſic enim φαγεδαινικὰ interpretor, atque ea quæ depaſcendo ſerpunt (nomas appellant) cum duplici ſalis portione ſiſtit. Prorigini, cum eruo, & pice illitum medetur, ſi lendes, aut pediculi ſunt, vel ſi aliquis aduſtus eſt, confert eo ex aqua illini. Idem rectè adhibetur tumoribus, & contra alarum inguinumque fœtorem. Quod ex Melo eſt conceptionem prohibet, ſi ante coitum vuluæ ori imponatur. Partus extrahit. gingiuarum excreſcentijs, vuæ, & tonſillis vtile eſt. Auribus, & obſcœnis partibus ex melle illinitur.

De Miſy, & Chalcitide.

a Et hęc ex metallicis ſunt. naſcuntur in Cypro, & alijs locis; b & genere cognata ſunt, ex vna, vt ita dicam radice naſcentia. c proinde Chalcitis videtur commutari in Miſy poſſe. ac verò tantum tenuitate, & craſſitudine diſſidẽt. Craſſiſſimũ eſt enĩ ſori, Miſy tenuiſſimum, mediũ inter hæc chalcitis. proinde Sori fundi non poteſt, quia lapidoſius eſt. Miſy verò ægrius quàm chalcitis eliquatur, quoniam magis eſt ab ingenito calore elaboratum, & ob id ſiccius chalciti. naſcitur Miſy ſuper chalcitim, perinde vt ærugo ſuper æs. ac verò ſori etiam ipſum videtur poſſe in chalcitim verti. d Chalcitis æri ſimilis eſſe debet, friabilis, non lapidoſa, non inueterata, in qua venæ oblongæ intercurſent, ac ſplendidæ: Miſy probatur Cyprium, auri ſimile, durum, quod friando auri imitetur colorem, & tanquàm ſtella ſplendeat. e Vtriuſque natura calida

a Ga. 9. de ſim. med.
b G. 4. de med. ſm. ge. cap. 1.
c Ga. 9. de ſim. med.
d Dioſ.
e Ga. 2. de ſim. m. c. 26.

a Ga. 1. *de sim. m.c. 33.* est & sicca vehementer. a immo verò tantus est in vtroque calor, vt adurere possint, b & crustam excitent. quanuis autem par sit vtroque calor, tamen Misy minus mordax est, quàm chalcitis, c ac minus adurit, quoniam tenuiores partes habet quàm chalcitis. d cum acri illa vi est etiam in vtroque permixta ea, quę astringit: sic tamen, vt illa hanc superet. non solum igitur vrunt ista medicamenta. e sed etiam abundè astringunt. f Abstergunt quoque, & repurgant, g & vbi minimè vsta fuerint exedendi facultatem habent. h vsta minus mordent, & astringunt, licet non minus siccent: & ideo melior est omnino chalcitis vsta, quàm quæ ignem non est experta, vt quę tenuiores partes ex adustione habeat, neque tamen acrior reddita sit, immo verò si post vstionem elota fuerit, minorem acrimoniam obtineat. i Purgant quæ oculis, & eorum angulis herent. igni sacro, & vlceribus serpentibus medentur. cum succo porri crumpentem ex vulua, & ex naribus sanguinem, sistunt. caruncularn gingiuis enatam, vlcera depascentia, tonsillasque insperſus puluis reprimit. Vsta, & ex melle trita, vtiliora sunt ad oculorum medicamenta, grauarũ callum, & scabriciam abstergunt. tollunt fistulas collyrij modo indita.

b Ga. 9. *de sim. med.*

c Ga. 4. *de med. sm. ge. ca. 1.*

d Ga. 9. *de sim. med.*

e Ga. 1. *de sim. m.c. 33.*

f Ga. 4. *de med. sm. lo. ca. 1.*

g Ga. 4. *de med, sm. ge. ca 6.*

h Ga. 9 *de sim. med.*

i *Dioſc.*

De Atramento sutorio, seu chalcantho.

k *Dioſ.* K Tria eius genera sunt, molle, concretum, & coctile appellatum, quod solet in Hyspania confici. postremum hoc inutile, et omnium inualidissimum est. l transit interdum in chalcitim atramentum sutorium. In eo calor est non leuis, m vt etiam

l Ga. 9. *de sim. med.*

m G. 4. *de sim. me c. 7.*

mor-

mordicare poſſit,a ſiccitas verò tanta, vt inter metallica maximè ſiccet.b eſt etiam in eo vis aſtringendi validiſſima,licet cum ea calor ſit coniunctus non modicus.c immo verò medicamentum hoc validiſſimum eſt eorum, in quibus cum acrimonia miſta eſt aſtringendi facultas.vbi tamen vritur, et eluitur multò moderatius efficitur.d Idem cruſtas excitat.latas ventris tineas enecat, drachmæ pondere deuoratum, aut ex melle delinctum, Vomitum promouet. ſi quis fungos venenatos eſitauit, ei vtile eſt ex aqua ipſum bibere.ſi caput purgandum eſt, vtendum eo ex aqua diluto, aut in nares idem ex vellere inſtillandum eſt.

a Ga 4. de med. ſim. lo. ca. 1.
b Ga. 9. de ſim. med.
c Ga 4. de med. ſm. lo. ca 4.
d Dioſ.

Huic Sicci haud Sicco balneorum compendio Iulius Amaltheus hoc Epigrammate luſit.

Vos, quos languor edax, quos opprimit arida tabes,
Quorum funeſtas mors cubat ante fores.
Mergite vos vndis, latices haurite ſalubres,
Exuite his diram fontibus illuuiem.
Excipiet vos alma Salus rorantibus vlnis,
Illa colit riuos, illa tuetur aquas.
Quas ita pœnia Siceus virtute recluſit,
Vt pede Caſtalias Bellerophontis equus.

Lautum huiuſmodi ferculum de balneis nobis obtulere *Hippocrates,& Galenus. At Ariſtoteles* de naturalibus aquis non pauca ſuppeditat ſect. 24. problem. *Aetius* de naturalibus baineis, deque ijs qui in balneo deficiunt animo, non pauca haud ſpernenda docet. *Ex Alexandro Tralliano,& ex Aretæo Cappadoce* aliqua habentur,quę in morbis curandis balneorum negotium facesſunt. *Ex Dioſcoride* ubi de *Bitumine*, *Naphta*, *Alumine*, *Sulphure*, *Nitro*, *ſalis flore*, deque alijs foſſilibus tractat,cum hęc ut plurimum in thermis contineantur,multa leguntur. *Paulus Ægineta* de thermis ſponte, naſcentibus,de earum differentijs, deque earum uſu in curatione morborum accuratè ſcripſit. *Oribaſius Sardianus* in libris collectionum medicinalium *ad Eunapium*, *ad Iulianum Imperatorem,& ad Euſtachium Filium* de balneis profundiſſime diſſeruit, atque libriſmet ipſis quidquid de thermis pręteritis ſeculis retulerant *Rufus,Diocles,Athenæus,Antyllus*, *Herodotus*, *Archigenes*, *& Agatinus* accuratiſſime collegit. *Ex Raſis* continente,& ex *Raſi* ad Almanſorem non pauca habentur ad balneas attinentia. Neque his minora de naturalibus aquis,& balneis *Auicęna* in ſuis voluminibus ſcripſit;multaque etiam præſtitere reliqua *Arabum* cohors *Auerroe*, *Abimeron Abinzohar,Abhenguefit,Meſues Syraſis*. Verùm *ſi Latinorum* perquiramus monumenta, lectione digna iudicantur ea,quæ de thermis,& balneis *Vitruuius* ſcripſit, Neque ſpernenda ſunt quæ lib.6.de rerum natura de aquis,& thermis poeta piloſophus *Lucre-*

eretius cecinit; Lucretioq; non vilior docuita ſuorum carminum venuſtate *Ouidius* Metamophos. XV. vt digniſſima quoq; exiſtimantur ea, quæ, apud *Cornelium Celſum* de thermis, balneiſque leguntur. *Strabo* Geographus accuratiſſimus in Orbis deſcriptione, qui ſuo æuo Romano parebat Imperio, veluti ſingulari effectione collatum, & magni faciendum eſſet naturæ donum, Thermalium aquarum habere ſcatebras, inter potiſſimas Regionum dotes illas enumerauit, & hominum memoriæ prodidit; ita ut ne locum prætermiſerit huiuſmodi à natura prerogatiua decotatum, quem ſummis non euexerit laudibus; ut de noſtris Neapolitanis, Puteolanis, atque Baianis apud ipſum encomia legimus.

Illuſtrauit quoque rem balneariam *Seneca*. nec vilia ſunt apud *Plinium* thermarum encomia, notateque apud eundem earum differentiæ; Cecinit de fonte Apono *Claudianus*, Cuius muſæ monumenta digna exiſtimaui, vt in hunc Prodromum excriberentur, quippe cum ex communi ſcriptorum omnium conſenſu conſtet, Campanię Thermas varietate, & efficacia vſu comprabata, omnes alias ſuperare, nil de reliquis ſcribi vnquam potuit, quin etiam in harum noſtrarum laudem, & gloriam cederet, cecinit ergo ſic *Claudianus*.

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis vrbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cùm tua vel mutis tribuant miracula vocem;
Cùm tibi plebeius carmina dictet honos,
Et ſit nulla manus, cuius non pollice ductæ

Te-

Teſtentur memores proſpera vota notæ:
Nonne reus Muſis pariter, Nymphiſque tenebor,
Si tacitus ſoli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas eſt, tacitùmque relinqui
Hunc, qui tot populis prouocat orè loqui.
Alto colle minor, paruis erectior aruis,
Conſpicuo cliuus molliter orbe tumet.
Ardentis fecundus aquæ, quacùmque cauernas
Perforat, offenſo truditur igne latex.
Spirat putre ſolum, concluſa ſubter anhelo
Pumice rimoſas perforat vnda vias;
Humida flamarum regio Volcania terræ
Vbera ſulfurea feruida regna plagæ.
Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant
Paſcua: luxuriat gramine cocta ſilex.
Et cùm rigido cautes feruore liqueſcant,
Contentis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effoſſi marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant,
Herculei, ſic fama refert, monſtratur aratri
Semita, vel caſus vomeris egit opus
In medio pelagi late flagrantis imago,
Cærulus immenſo panditur ore lacus.
Ingenti fuſus ſpatio: ſed maior in altum
Intrat, & arcanæ rupis inane ſubit.
Denſus nube ſua, tactùque immitis, & hauſtu:
Sed vitreis idem lucidus vſque vadis.
Conſuluit natura ſibi, ne tota niteret,
Admiſitque oculos, quò vetat ire calor.
Turbidus impulſu venti cùm ſpargitur aër,
Glaucàque fumiferæ terga ſerenat aquæ.

Tunc

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres haſtæ regia dona micant:
Quas inter nigræ tenebras obſcurus arenę
Diſcolor obruptum flumen hiatus agit.
Apparent intra latebrę: quas gurges opacus
Implet, & abſtruſos ducit in antra ſinus.
Tunc montis ſecreta patent: qui flexus in arcum
Æquora pendenti margine ſumma ligat.
Viua coronatos adſtringit ſæua vapores,
Et leuis exili cortice terra natat.
Calcaturque oneri numquam ceſſura virorum
Suſtentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas ſic leues circuit oras
Ambitus, & tenuis, perpetuuſque riget.
Hærent ſtagna loco plenas æquantia ripas;
Præſcriptumque timent exſiluiſſe modum.
Quod ſuperat, fluuius deuexa rupe volutus
Egerit, & campi dorſa recurua petit.
Deuehit exceptum natiuo ſpuma meatu.
In patulas plumbi labitur inde vias.
Nullo cum ſtrepitu madidis infecta fauillis
Deſpumat niueum fiſtula cana ſalem,
Multifidas diſpergit opes, artemque ſecutus
Qua iuere manus mobile torquet iter,
Et iunctos rapido pontes ſubtermeat æſtu,
Afflatoſque vago temperat igne tholos.
Acrius interius rauci cum murmure ſaxi
Spumeus eliſo pellitur amne vapor.
Hinc pigras repetunt feſſi ſudore lacunas:
Frigora queis longę damna dedere morę;
Salue Pæoniæ largitor nobilis vndæ:

Dat-

Dardanÿ ſalue gloria magna ſoli.
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præſens Numen, inempta ſalus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et noſtro Phlegethon deuius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus ſeu decidit amnis,
Accenſuſque fluit, quod manifeſtat odor;
Siue pares flamas vndarum lance rependens,
Arbiter in fœdus mons elementa vocat
Ne cedant ſuperata ſibi: ſed legibus equis
Alterius vires poſſit vtrumque pati.
Quidquid erit cauſſæ, quocumque remitteris ortu,
Non ſine conſilio currere certa fides.
Quis caſum meritis adſcribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc ſtatuiſſe Deos?
Ille pater rerum, qui ſæcula diuidit aſtris,
Inter prima poli, te quoque ſacra dedit,
Et fragilem noſtri miſeratus corporis vſum
Telluris medicas fundere iuſſit aquas,
Parcarumque colos exoratura ſeueras
Flumina laxatis emicuere iugis.
Felices proprium qui te meruere coloni,
Fas quibus eſt Aponum iuris habere ſui.
Non illis terrena lues, corrupta nec Auſtri
Flamina, nec ſæuo Sirius igne nocet.
Sed quamuis Lacheſis lethali ſtamine damnet,
Inde ſibi fata proſperiora petunt.
Quod ſi fortè malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viſcera felle rubent:
Non venas reſerant, nec vulnere vulnera ſanant,
Pocula nec triſti gramine miſta bibunt.

Amiſ-

Amiſſum lymphis reparant impunè vigorem.
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

Scripſere *Aleardus Veronenſis*, *Nicolaus Maſſa*, *Fumanellus*, & *Pantheus*, de Calderianis Thermis; *Antonius Gualnerius*, *Delphinus*, & *Paternus* de Aquenſibus; *Bauerius*, & *Tura*, de Porrectanis; *Montagnana*, *Iacobus de Donnis*, & *Paſinus*, de Patauinis; *Geſnerus*, & *Pogius* de Germanis, & Heluetijs; *Gratarolus* de Rheticis; *Elyſius*, *Brãchaleo*, & *Pontanus* de Campanis, & Neapolitanis; *Bertolinus*, de Corſennatibus; *Zimalia* de Bergomatibus; *Bendinellus* de Lucenſibus; *Parauicinus* & *Tuſſignanus* de Maſinenſibus, Burmienſibus, & Volturenis, *Ioulta Rapicius* de ijs quæ ad Timaui ſunt Oſtia; præter pertinentia ad Thermas varias, earumque ad vſum, quæ ex operibus *Taurinenſis*, *Barzizij*, *Pedemontani*, *Gentilis Sancti Amandi*, *Fuchſij*, *Menghi*, *Sauonarolæ*, *Aponenſis*, *Vgolini*, *Turriſani*, *Vgonis Senenſis*, *Cardani*, & *Agricolæ*, excerpi ab vnoquoque poſſunt, quod ſi tot comparandis Authorum voluminibus labori parcere voluerit, vnum conſulat dictorum omnium collectaneũ Venetijs anno 1553. apud Iuntas impreſſũ.

Celebriori demum calamo, thermalium aquarũ nunquam ſatis decantata miracula, hominum memoriæ conſignarunt *Theophraſtus Paracelſus* de Naturalibus aquis, de Termis, & balneis; *Andreas Baccius* erudito, cõſumatiſſimoq; volumine de Thermis; *Helmontius* de fontibus Spadanis, *Gaſſẽdus* in de globo telluris, & *Athanaſius Kircherus* in ſuo mũdo ſubterraneo. *Faber* in Hydrographo Spagyrico.

Fi-

Finem deniq; huic Prodromo faciet *Staniſlai Reſcij* Poloni, Regis Poloniæ Olim Neapolitilegati, externum teſtimoniũ, qui inter innumeras huius noſtræ Vrbis felicitates, quas memorabili complectitur elogio, eam extollit, quæ apparatis, proximiſque thermis ad miraculumuſq; à morbis afflictos vendiçat ægros; hęc enim ipſe litteris confignauit.

Si porrò mali, quod obrepſit, ſi quod è tantis lubentiȳs vitium valetudo contraxit, ipſa viciſſim ſui lęna natura medicinam eſſe preſentem voluit. Campi adſunt Phlegræi,

In quibus humana deficit artis opus.

Cerebrum fortè laborat, Aſtrunum dedit balneũ; Pectus æſtuat, Iuncariæ parauit lauacrum: Stomachus languet, in Plagis natato: Calculus premit, in petram te immerge: Phtiſis imminet, Orthodonicam adhibe lotionem: Praua perurgent Symptomata, in Tripergulis lauato: Quartana coquit, Aquas intra ſubcellarias: Podagrę propterea fortaſſe natura medicinam nullam reliquit, ne vita nobis ſine aduerſario flaccęſcat; neue non fortes, niſi illam fortiter ferremus, videremur. Summa eſt, In alijs laboraſſe in his formandis, fingendiſque oris luxuriaſſe mihi natura videtur; Cyclopem, vt eſſe immanem oporteat, ſineque mente, & oculis hominem, qui in iſtis naturæ ludis, & amœnitatibus, in his vitę Lubentiȳs, & Gratiȳs non tam ratione, quàm ipſa ducente, titillante, auriganteque natura, non acquieſcat.

FINIS.

SCRIPTORVM
Huius Prodromi fidem firmantium CATALOGVS.

Abhengueſit.
Abimeron.
Abinzohar.
Aleardus Veronenſis.
Alcadinus.
Alexäder ab Alexädro.
Andreas Baccius.
Antillus.
Antonettus Capimazzo.
Archigenes.
Aretæus.
Ariſtoteles.
Athenæus.
Athanaſius Kircherus.
Auicenna.
Auerroe.

Bartholomeus Taurinenſis.
Bauerius.
Bertolinus.
Bendinellus.
Barzizius.

Camillus Pellegrinus.
Capaccius.
Cardanus.
Caſſiodorus.
Celeſtinus Guicciardi-
Cornelius Celſus.
Claudianus.

Delphinus.
Diocles.
Diodorus Siculus.
Dion.
Dioſcorides.

Euſebius.
Euſtaſius de Materra.
Faber.
Franciſcus Lõbardus.
Franciſcus Aretinus.
Franciſcus Brancaleo.
Franciſcus Baliſterius.
Fumarellus.
Fuchſius.

Galenus.
Gaſſendus.
Georgius Agricola.
Geſnerus.
Gentilis.
S. Gregorius Magnus.
Grattarolus.
Guainerius.

Hel-

Helmontius.
Herodotus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Ioannes Siccus.
Ioannes Arucccius.
Ioan. Bapt. Lombardus.
Iordanus Epiſc.
Ioannes Elyſius.
Ioannes Villanus.
Ioſeph Mormile.
Ioſeph Hebreus.
Iuſtinus Martyr.
Aurea Tullius.
Liuius.
Lucretius.
Eſue.
Mengus fauētinus
Michael Sauonarola.
Moyſes.
Montagnana.
Nicolaus Maſſa.
Ribaſius.
Ouidius.
Panteus.
Paternus.
Paſinus.
Parauicinus.
Paracelſus.
Paulus æginetæ.
Pirrus Cephaleus.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plutarcus.
Pontanus.
Polibius.
Pogius.
Rapicius.
Rufus.
Raſis.
Reſcius.
Scipio Mazzella.
Seneca.
Seruius.
Spartianus.
Statius Papinus.
Strabo.
Suetonius.
Syraſis.
Tacitus.
Thucidides.
Trallianus.
Turriſanus.
Tuſſignanus.
Varro.
Virgilius.
Vittruuius.
Vgolinus.
Vgo Senenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

THERMOLOGIA ARAGONIA,

SIVE

HISTORIA NATVRALIS THERMARVM

In Occidentali Campaniæ ora inter Pausilippum, & Miſenum Scatentium, iam Æui iniuria deperditarum,

&

PETRI ANTONII AB ARAGONIA

Studio, ac munificentia reſtitutarum,

Vbi eruditè diſſeritur de Pyroſophia, & Hydroſophia Arcanis, origine Fluminum intremento Nili, Aeſtu Maris, exalationibus terræ, ac inſuper de Calore, & Luce non vulgariter philoſophatur,

ÆGREGIO VIRO

PETRO VALERO DIAZIO I.C. ARAGONENSI

AVTHORE

SEBASTIANO BARTOLO

In Neapolitano Gymnaſio Philoſophiæ, & Anatomiæ profeſſore primario,

opus poſthumum recenſitum à Michaele Blancardo Philoſoph. ac Medic. Doct. Authoris diſciplina Alumno.

Tomus Secundus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Neap. Ex Typographia Nouelli de Bonis 1679.

Superiorum facultate.

12.8.K.5

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. PETRO VALERO DIAZIO

I. C. ARAGONENSI

Catholicæ Maiestatis in hoc Regno Neapolitano Consiliario à Latere, ac in Regno Siciliæ Supremo Censore.

PRomissi Operis Thermologię Aragoniæ, Vir Illustrissime, tunc primum rei veluti inexplorate me fefellit iudicium suaserã enim mihi exiguo labore, breuiq; tẽporis spatio ea, quæ ad Thermarum Campaniæ restitutionem, earumque vsum pertinerent, angusto cõprehendere posse volumine, vt publici iuris fierent: sed enim verò cum per Thermarum exiles scatebras, tum Natura ludens, tùm blandiens Scriptorũ eru-

ditio me in vaſtum eduxiſſent rerum Oceanum, anceps fui, an meæ vires labori, an vita tempori ſufficerent ad exiguam illarum partem colligendā, qua redux in portum eam, poſſem in publico litterarum emporio exponere eruditorum: triſtabar interea, doctos aliquos viros amicos promiſſi operis expectatione fruſtrari, nec ſint pudore eos de eius publicationc ſciſcitantes audiebam. Angebar his curis, quum improuiſa cogitatio modū mihi ſuggeſſit, quo promiſſis ſatisfacerem, abſque eo quod præcipiti calamo apparatuq; tumultuario huiuſmodi opus, laboris alioquin, temporis & ſtudij diligentioris indigum, intempeſtiuè maturarem: anſam cogitationi dedit, prò comperto habere, illum Campaniæ tractum, vndique

Ther-

Thermales aquas effundẽtẽ, apud antiquiſſimos Græcos Scriptores *Phlegræ Cumee* meruiſſe nomen, ac prò voto, vt res mihi cederet fore exiſtimaui, ſi vnumquemque Cumanæ illius Phlegræ locum reliquis nomine, & finibus diſcretum, ſucceſſiuè in ſingulare, propriumque digeſſiſſe opuſculum, quod tũ Thermarum aliquã, tùm aliquid aliud notatu dignũ, quod illic inuenirem complecteretur; ità enim, ſi prolixiora mora, quæ totius Phlegræ poſtrema ſunt opuſcula, vt è prẹlo emergerenr, retardarentur; prima, ea paſſim reliqua, quæ in lucem prodirent, tùm numero expectantium patientiam compenſarent, tùm paruitatem voluminum legentium faſtidium minuerent; id cum præmonere deberem *Phlegræ Cumanæ* Chorogra-

phiam, vſuſque in ipſa Phlegra manantium *Thermarum Cronicon*, veluti duo Cardines, quibus totum Aragonium Thermologicum opus innitetur, hoc libello veluti ſubſequentium prodromo exhibere curaui, quem nomini tuo Vir Illuſtriſſime Litare, ipſa quam continet, materia me cogit: quippè de rebus à noſtro ſeculo diſſitiſſimis, quas curſim vix attigere vetuſtiſſimorum Scriptorum calami, hactenus inueni neminem, præter te, qui ſupra ſeculi ſortem ad exactiſſimam veritatis normam eas interpretaretur, multaq; recentioribus panderet, quæ Scriptorum obuoluta tenebris, eſſent penitus in obſcuro: quod magnũ ſanè exhibet ſublimitatis ingenij tui ſpecimen, quum magiſtratus Regni mole grauatus, cui ſuſtentandę

mul-

m̃ultorum abſorbentur vires, varie-
tati ſtudiorum, & multum vacare, &
in ijs ſumoperè proficere queas. Cæ-
terum, Vir Ampliſſime, nomine tuo
panegyrim hic attexere alienum om-
ninò duxi, quippè ſilent Scriptorum
laudes, vbi generis Claritas, Fortunæ
opes, animi virtus, & legalium litte-
rarum conſummatio Auſtriacum im-
pulere Monarcham, vt in hoc ampliſ-
ſimo Regno te Supremæ Reipublicę
adminiſtrationi in Collaterali Conſi-
lio admoueret, & in proxima etiã Si-
cilia nuper grauiſſima tibi negotia
cõcrederet; grato ergo animo meum
hoc excipe obſequium nec te exter-
reat obtrectãtium Medicorum emu-
latio, qui, Chymiæ peritia turpitudi-
nis notã incurreret, mihi Chimici no-
men attribuentes, gregariæ phebacu-

læ horribilem, odioſumque me exhibent: enimuerò cum ſolo veritatis amore deuinciar,& ingenuitatem in medendo non impoſturam profitear; magnorum virorũ admonitione frętus,tãquam ſeruile, & illiberale inter ſectarios annumerari ſemper exhorrui: equidem reguntur pediſſequarũ manibus infantium labantia corpora,ducunturq; à veterinarijs fatua iumenta capiſtris;at qui in humanitate, & litteris adoleuit,ſi proprijs non innitatur viribus, ſi veritatis ſemitam non eligat, & quorſum illum abducit alterius hominis authoritas veſtigia dirigat;Infantili imbecillitate, brutalique ineptitudine premi, velit, nolit ex ipſa aſſentiendi procliuitate fateri cogetur;id me Vir Illuſtriſſime non eo temerario auſu aſſeruiſſe; tibi ſuadeas

deas velim, vt erudiri quippiã in facultate aliqua queat, qui Doctorum virorum ſcripta in ea facultate præſtantium multoties non euoluerit, rationum momenta non perpẽderit, & genuinam eorum mentem in ijs, quæ docent non attigerit; tantùm enim abeſt, vt in ſuis non exercere ſeſe ingenia iniquè ſuadeam; vt fatear huiuſcemodi labores dumtaxat poſſe integram, atque inculpatam ijs parere libertatem, quæ non hominum, opinionibus amplius, ſed veritati ſolùm obſequitur; Hinc ego in re medica Paracelſiſtam, vel Helmõtianum appellitari non minus abominor, quam Hippocraticum, vel Galeniſtam; ſuo enim horum celeberrimorum hominum vnumquemq; prò virili artem medendi nouis inuentis adauxiſſe, ac re-

remediorum ſuppellectile locupletaſſe, quorum beneficio nos fruemur, ſi reliquì in vnius Hippocratis verbo iuraſſent, & vix ab eo partæ medicinæ ſuppetias non tuliſſent: quod planè documento fuerit prudentem nõ decore Virum aliorum nectare ſpreto vnius tantùm libare dulcedinem, quæ vix ſummis labijs, à ſectaris guſtata, ità inebriantur, vt tantillum alterius doctrinæ, non ſolùm non capiant, ſed neque in ea admoniti animum; vertere dignentur; ò vtinam aliquando prudentiſſimis viris, qui ſummas in re Publica gerunt magiſtratus. Pientiſſimus Deus cogitationes inijciat prouidendi, vt optimi ciues valetudinem, vitamque ſuam, nonniſi probri, & prudentiſſimis Medicis committere poſſent; Equidem hac re cognita,

gnita, pleroſque illorum, qui nunc artem profitentur non vt Medicos, ſed vt Sicarios, qui ſpecie curādi homines necant è medio tollerent. Nec verò quiſquam mihi vitio vertat talia hæc de artificibus (non de arte) proferre, quam ſimilia de ipſis legum Profeſſoribus, & de illarum ſanitate corrupta pronuntiare non ſit veritus grauiſſimus Magiſtratus, & Conſul Romanus Aurelius Simmacus, ait enim epiſtola CXVI. Vtinam leges æque mecum Valerente! quarum ſanitas ab ipſis plerum, corrumpitur, quibus curanda mandatur, ſed non pergam longius, dum deditiſſimus Tuæ Dominationi Illuſtriſſie omnibus in meis actionibus operibus ſemper ero futurus. Vale nonis Octobris M.DC.LXXII.

Sebaſtianus Bartolus.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neap. ſub 17. Martij 1676. fuit dictum, quod Reu. P. Dominicus Iameus Soc. Ieſu reuideat, & in ſcriptis rrferat eidem Congreg.

F. Scanegata Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theolog. Eminentiſs.

Eminentiſs. Princeps.

IVſſu Eminentiæ Tuæ vidi Libellum vnum, & alterum, qui inſcribuntur, Thermologia Aragoniæ, & nihil in ijs reperi, quod veræ Fidei, boniſque moribus refragetur. Typis igitur mandari poterunt, ſi ea fuerit Eminentiæ Tuæ mens. Neapoli 3. Iannarij 1679.

Eminentiæ Tuæ

Omni obſequio Addictiſſimus Famulus
Dominicus Iamæus Soc. Ieſu.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub die 18. menſis Ianuarij 1679. fuit dictum, quod ſtãte relatione ſupradicti Reuiſoris, Imprimatur.

Stephanus Menattus Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theolog. Eminentiſs.

ECCELLENTISS. SIG.

MIchele Blancardi ſupplicãdo eſpone à V.E. come deſidera dare alle Stampe l'Opera del q. Sebaſtiano Bartolo intitolata Thermologia Aragoniæ. Per tanto ſupplica V.E. darli licenza la poſſa dare alle Stampe, e l'hauerà à gratia, vt Deus, &c.

Reuerendus P.F. Eugenius de S. Ioſeph videat, & in ſcriptis S.E. referat.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 20. menſis Aprilis 1678.

Scoppa.

Excellentiſs. Princeps.

SEbaſtiani Bartoli currentis ſæculi Philoſophi celeberrimi, ac ſapientiſſimi viri (cuius memoria in benedictione eſt, vixit enim cum gloria, licèt non extra inuidiam: Deuixit cum inuidia in eius felici tranſitu aſſiſtentium, & piè credimus extra veram gloriam non eſſe,) Opus poſthumum Termologia Aragoniæ inſcriptum, Excellentia Veſtra iubente, perlegi. Nihil contra Regiam Iuriſdictionem continet, ſed omnia encomijs, & admiratione digniſſima. Igitur poteſt, & meretur lucem aſpicere, in ſe habens, vt Lignum deſcriptum Apocalypſis cap. 22. *Folia ad ſanitatem gentium.* Inſpirat in dies, ac diù ſuſpirabit Parthenope, Italia, Europa, Orbis literarius Auctorem abſentem, abſentem vtique, non mortuum. Si enim

Lege

Lege Salica, Gramondo teſte, Reges non moriuntùr in Gallia, nec immortalis Sapientiæ diplomate Sapientes in Mundo; viuunt namque & meliùs. & feliciùs in ſuis Libris, quàm in Liberis. Cunctos Excellentia Veſtra ſolatio afficiet, ſi diù optatos huius Magni Viri partus à cunctis publicè permiſerit poſſe aſpici, quia ſic iterum audiemus cuncti, ac perenne Sebaſtianum Bartolum Philoſophantem egregiè. Datum in noſtro Collegio Theologico S. Ianuarij Turris octauæ pridie Idibus Maij 1678.

Excellentiæ Veſtræ

Addictiſſimus, & humillimus ſeruus

F. Eugenius à S. Ioſeph Carmelita Excalceatus, S. Theol. Profeſſor Ordinarius, ac Concionator Cæſareus.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, verùm in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Valero Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Peruiſum per S. E. Neap. die 30. Iunij 1678.

Scoppa.

THERMOLOGIAE ARAGONIÆ

PAVSILYPVM.

PAVSILYPVM amœniſſimum promontorium, Neapoli Puteolos abeuntium oculis, primum proſpiciendum ſe prebet; hoc vbi effoſſum, pertuſumque mari ſe mergere incipit, paſſuum ferè mille ab Occidentalibus Vrbis mœnibus diſtare conijcitur; quo interuallo, ſuburbanus ille vicus, perpetuo vere luxurians, quē *Chiaia* appellāt Neapolitani, eſt poſitus: tanta clementia cœli, tanta aeris ſalubritate, tanta viridariorum amœnitate donatus, vt procerū frequentia nobilitatus locus, omnium delitiarum epilogus iuremerito exiſtimari poſſit, quod non ſolum nos incolæ teſtamur; ſed Staniſlaus Reſcius Regis Poloniæ legatus, Simoni Simonidæ poetę laureato ſcribens, ita de eo ſenſit. *Sedem porrò* Epiſt. 5.

in locis Suburbanis non modo magnis viris charam, ſed & ipſis etiam, vt Gentilitas putabat, dijs immortalibus amicam. Ab Aquilonaribus inclementijs locus defenditur colle, quem Liuianæ Palepoli tunc imminere exiſtimauit Pontanus, & nunc *Vomere* appellant, hic dum è caſtro Sancti Eraſmi, vulgo *Santermo*, Occaſum verſus leni, cultoque iugo extenditur, flectitur ad Auſtrum, ac mari Miſeno, & Athenæo promontorijs intercluſo, quod κραιπα appellauere Græci, ſe mergens, in promontorium Pauſilypum protenditur, ſinumque ferè imperturbabilem efficit, ab Oriente Platamonijs, Caſtroque Lucullano vulgo *Caſtel dell'Ouo* terminatum. Collis eò ſitu, quo in Orientem, & Auſtrum inclinat, per triumſmillium paſſuum ſpatium, placidiſſimè exoſculatur vndas, à quibus intimè admiſſus eò eas deperit, vt ad planitiem ferè inclinato cliuo, nunc ſub ijs mergi, nunc ab ijs emergere, facillimè credares, atque vt vbique charis ſe ſemper intermiſceat vndis, paſſim in ſuis viſceribus adapertis ſinibus, placidè murmurantes eas admittit, eæque ipſum ſe cupidè inſinuantem admittunt: adeoque reciprocis commiſcentur amplexibus, vt prętereuntem ſæpiſſimè fallant, qui dum ſiccum montem pedibus calcare credit, zelotypa accurrente circumalluitur vnda. Pro tanta collis amœnitate à Flora, Pomona, & Baccho quolibet anno pugnatum eſt; horum enim numinum vnumquodque, ſibi Pauſilypum pro regia dediſſe louem, altercabatur; tandem vt duo per collem errarent, & ter-

lib. 6. de bel. Neapol.

tio

tio per anni vices vicißim ditionem cederent, inter ſe conuenere; ità vt nunc Baccho, & Pomonæ floribus ornet ſolium Flora, nunc inter flores turgidus rideat vindemia Bacchus, excludatque nouos fructus, dum dat Pomona maturos; colligatur ex hoc huius loci cœli temperies, quę ex ſingulari quadam diſpoſitione ver perpetuum in colle producit; etenim à parte Septentrionali eminentioribus aliorum collium iugis, ab Aquilonis Boreæque rigore defenditur;

Inuida purpureos vrat ne bruma racemos;
Et gelidum Bacchi munera frigus edat.

Vt dum vniuerſa Campania eò exuritur, ventique impetu arboribus ſpoliatur: tepeſcat cœlo Pauſilypum, ac tranquillum neque fronde moueatur. Dum deinde verſus Auſtrum Promontorium in mare deſcendit, cunei figuram exprimit: nam humile quantùm à parte Orientali (quę veluti extrema montis, Neapoli conſpicitur) in templum Veneris Eupleæ, quod nunc vulgo dicitur *la Caiola*, recta linea verſus Auſtrum inclinante, progreditur; tantum alia recta versùs Occidentem extenſa, ſublime emergit ab vnda, prę-ruptaque altitudine partem Occidentalem, obtinuit: vt Auſtri, Occidentaliumque ventorum ſublimi argine reparato furore, imperturbabili cęli apricitate, Orientales incolæ recrearentur; neq; tantùm hæ, quibus collis abundat, dotes ad amenitatis negotium faceſſunt, ſed ea, quæ indè circumſpicitur ora, quam maximè loci felicitatem adauget; etenim præter quam quod in ſubiecto

maris cratere, veluti in ſpeculo ſe ipſum adumbrat Pauſilypum, qui eius delicias incolunt, Capreas, Mineruæ promontorium, Surrentum, Herculanum, Pompeianum, Veſevum, paludes Sebethicas, colleſque Neapolitanos trans mare, vaſtum veluti theatrum, varias ſcenas repreſentans, aſſiduò proſpectu intuentur. In vniuerſo itaque terrarum orbe, ſi tanti Felicem veteres fecere Campaniam, feliciſſimum adeò hunc in Campania exiſtimauere collem, vt procliuis in nominum proprietates Græcorum ſagacitas, illius nomen ex duplici dictione conflauerit ex παυσι ſcilicet, & λυπον, quæ à mœſtitijs quietem deſignantes, dedere Pauſilypo etymon; non ſecus ac, apud Suetonium, Capreas dixit Auguſtus ἀπραγοιπολιν, ideſt vrbem negocij vacantem: eſt etiam apud Sophoclem dictio hęc παυσιλυπος poculum, denotans in conuiuijs, tertium, Ioui ſeruatori dicatum, quod curas abigeret. Vetuſtiſſimum huius collis, & vnicum itaque Nomen (nam incongruè apud Franciſcum Petrarcam, & Franciſcum Lombardum nunc ſub nomine Falerni, nunc Poſtripi legitur) fuit Pauſilypum, quod pro more, vt carmine luderent, diuersè vſurparunt poetæ; quandoquidem pro Numine agreſti, pro ruſtico vinitore, in vitem conuerſo, ac ſępè pro iocundo loci alicuius genio, eo ſunt vſi Latini Poetæ, ac Muſis non pauci celebres Hetruſcis; vt apud Capaccium hoc epigrammate.

de ant. Puteol. *Pauſilypus noſter, qui nunc dat nomina monti,*
Sic dicta à magno Cæſare Villa fuit;

Quod

Quod foret inſanis requies fidiſſima curis,
Et portum feſſæ redderet ille rati.
Et Flaminius hoc alio.
O vtinam ille ſuo me ſiſtat numine ſancto
Ad fortunati numina Pauſilypi.
Littora diuino quondam celebrata Maroni,
Et patrio Minci flumine chara magis.
Littora, quæ toties viderunt Calliopeam
Dictantem vati carmina docta ſuo.
Ac Sannazarus de eo ſic cecinit.
Te quoque formoſæ captum Neſidis amore,
Pauſilype, irato compellat ab æquore quæſtu.
Quem lepidè imitatus Bernardinus Rota, de quadam Villa ſic ſcripſit.
Huc fugite ò Dryades, dominus loca tuta parauit: lib. epig.
Ne vos, dum ſequitur, Pauſilypus rapiat.
Et alibi.
Iam vocat me Pauſilypus, canenti
Plaudit, & clari tumulus Maronis ibidem
Me vocat toto veneranda Mergil-
lina profundo.
Et alibi Æglæ alloquens.
Tu mihi das Pauſilypi receſſus,
Tuque craterem pelagi videre, &
Antra, & in primis veneranda magni ibidem
Buſta Maronis.
Alibique iucunda elegia ſic eius inſinuat Fabellam, quam ad Rodulphum Pium mittit.
Forte ſub vmbroſa cantabat vinitor vlmo
Pauſilypus, &c. lib. 3. eleg.
Quam paulo poſt ità abſoluit.

Sed bacchi pietate(canat quis mira Deorum?)
In vitem, hærebat cui modo, verſus abit.
Quæ nüc moeſta etiã illacrymat, quæ cortice manat,
Heù memor exitij tempus in omne ſui.

Frequentatiſſimum apud antiquos fuiſſe Pauſilypum, excauatum ſub eo antrum, Magni Maronis tumulum, & vetuſtiſſimorum ædificiorum rudera, regiam magnificentiam oſtentantia, quæ paſſim in eo occurrunt, pleniſſimè teſtantur: neq; villam ſolum; ſed Fana, murorum ingentia fundamenta, cęmenti elegantia, aquæ ductus, montis inanitates, pilæ, moles, tam in continenti, quam in mari, non exiguam vrbem in eo fuiſſe, licet collapſam repræſentant: nos ergo, vt ordine omnia proſequamur, ab admirabili illa Neapolitana Crypta eſſe incipiendum, pretium duximus operæ.

Etenim quamuis Pauſilypum altum emergat, vbi *Chiaiæ* deſinit arenoſum littus; Neapoli Puteolos abeuntibus, planiſſimum per cryptam præſtaret iter, rectiſſimumque foret, ſi Diuiæ Mariæ templum ad oſtium cryptæ cum cœnobio, & viridario illud non diuideret, eiuſque rectitudinem in cryptam non interciperet; dum enim ad turrim notati viridarij vulgo *La torre di Chiaia* peruentum eſt, à ſiniſtra per littus via producitur in Pauſilypum; à dextra verò recta, vſque ad templum, quod antequam habeatur ſiniſtrorſum in pomerij pariete Petri Fernand. munificentia in fonte his lineis legi, ſi iuuat, poteſt.

PHI-

PHILIPPO III. REGE
Maris oram cœlo, ac situ felicem
Ducta perenni aqua,
Amœnissimam reddidit
Petrus Fernan. de Castro
Lemensium Comes Prorex,
Publicæ felicitatis studiosissimus
Curantibus Ædilibus
M. DC. XIII.

A templo in cryptam obliquum continuatur iter; quippe per posticam templi partem, versus Meridiem triginta ferè passum spatio, flectere illud cogimur, vt cryptæ ostium veniat in prospectum; dum ad illud peruenimus, hinc, atque illinc excisi montis sublimes, repentesque suspiciemus rupes, quarum, sinistra Magni Maronis tumulo superbit, hac parte inaccessibilis; dextera, neque tumulis caret; sed ignotorum cinerum. Horribilis est, immanis illius hiatus repentinus aspectus, adauxitq; hactenus horrorem, loci alioquin admirabilis, agrestis vndique scabrities, signorum expers, & omni memoria vacua; quod ego cum animaduertissem, atque vnum quemque Neapoli Puteolos terrestri itinere abeuntem, necessariò, per eum locum transiturum, cogitassem; gloriæ Nominis Nostri Principis Petri Antonij Aragonij saxeam molem erigendam curaui; quæ cum directo venientium acies feriat, horrorem animis minuit, elo-

elogium, balneorumque, quæ citra ſunt Puteolos, nomina, loca, ac virtutes in albis marmoribus litteris inſculpta, ad legendum inuitans, quæ adamuſſim in huius operis Prodromo impreſſa tranſtulimus, quem conſulant externi.

At preſentes ſi cum ea legerint, dextrorſum aciē dirigant, inter exertas rupes fauces proſpicient antri, quod ſupercilij altitudine, tenebricoſo inani, fluctuantē puluere, caligantis ab oppoſito oſtio luminis tranſitu, plauſtrorum rhedarumque euntium, redeuntiumquè ſtrepitu; tranſeuntium hominum clamoribus, cōfusè è cauo exeuntibus frementium; eiulantiumq, ſonum mentientibus, generoſum quemlibet intuentē, nunquam alias rem expertum, vel ex auditu conſcium, perterritum reddet; Verum enim vero ſi poſt euocatum ab horrore animum, humani ingenij in tanto opere contempletur induſtriam, non erit, vt hoc inter ſuperbiſſima, celeberrimaque humanorum tentaminum facinora non connumeret, antro perpenſo ſimul, atque vſu; etenim qui Cumis, Myſenis, Baijs, Puteolis conuiuebant homines, Palepolitanis, Neapolitaniſque origine, fœderiſque neceſſitudine coniuncti, hoc per collem non reſerato itinere vehiculorum reciproco commeatu, incommodo non leui, priuabantur; quippe per prærupta vndique ſurgentium collium iuga ſcabram præcipitemque viam, protractioremque tam hominibus, quam beſtijs calcare fuiſſet neceſſarium; Puteolis enim rectiſſima, planiſſimaque via ad Occidentales Pauſilypi, per Vulcani forum,

ra-

radices ducebat, ibique à dextra eiuſdem promontorij præcipiti, editoque cliuo, à ſiniſtra Antiniano, & Vomere ſublimibus iugis, cum Pauſilypo continuis, obicibus ferè inacceſſibilibus intercipiebatur; qua vexatione perpuncta illorum populorum ingenia, montem Pauſilypum ferro pertundere, planumque iter aperire excogitarunt ea parte, quà non ſolum erat collis anguſtior; ſed qua littori, recto curſu Neapolim abeunti, *Chiaię* ſuburbio, non autem mari reſponderet: exciſaque fuit crypta, de qua nobis in præſentiarum eſt ſermo, eaque rectitudine excauata, vt Orientali oſtio, poſt æſtiuum Æquinoctium, ſurgentis ſolis radios, Occidentali verò declinantis exciperet, vnde Matutinis, & veſpertinis horis quàm, meridianis quadruplo lucidior, ex eò, quod recepti radij in oppoſitum ferè aditum pertingunt, antrique medium adeo illuminant, vt hominum vultus prætereuntiũ, qui in meridie ſunt in obſcuro, mane atque veſperi facili negotio cernerentur, cui ſuffragantur quoque, languido licet lumine, foramina in editiori montis parte exciſa, ac verſus inanem cryptæ medium obliquè pertingentia. Eſt ſanè admiratione dignum, de certo tanti operis auctore nihil ab antiquis fuiſſe memoriæ proditum, cum illud alioquin adeò portentoſum exiſtimauerint, vt viribus ſupra humanis magico auſu actum credulis ſuaſerint, Ioanne Villano id inſinuante in ſua chronica Parthenopęa anilibus nugamentis referta; vndè coniecit fortè vulgus, & Virgilium Maronem Circęis notis Deorum

lib. 1. c. 30.

Ma-

Manium coniurato impetu, inſtanti cituis, cuiſceratum, pertuſumque montem Neapolitanis obtuliſſe, quam ſententiam lepidè à Franciſco Petrarca in ſuo itinerario reiectam, reprobatamque
in itin. fuiſſe ſic legimus. *Inter Falernum, & mare mons eſt ſaxeus hominum manibus confoſſus, quod opus inculcum vulgus à Vergilio magicis cantaminibus factum putat. Ita clarorum fama homnium non veris contenta laudibus, & ſæpè etiam fabulis viam facit, de quo cùm me olim Robertus Regno clarus, ſed ingenio, ac literis præclarus quid ſentirem multis aſtantibus percunctatus eſſet, humanitate frætus Regia, qua non reges modo, ſed homines vicit, iocans nuſquam me legiſſe magum fuiſſe Virgilium, reſpondi, quod ille ſereniſſimæ frontis nutu approbans, non illic magici, ſed ferri veſtigia confeſſus eſt.*

Beniamin Tudulenſis Hebræus, apud accuratiſſimum ſuum interpretem Benedictum Aria Montanum, in ſuo itinerario, hæc de Neapoli-
in itin. tano hoc retulit antro. *Illinc profectis, quindecim milliarium via ſub montibus conficitur; eſtque opus à Romulo Romanorum primo Rege factum propter metum Dauidis Regis Iſrael, & Ioab, Dauiäici exercitus Ducis ſummi.* Verùm fabulari Hebræum conuincit vniuerſus tam ſacrorum, quam profanorum chroniſtarum conſenſus, diſſitisſimis temporibus illos Reges vixiſſe pronuncians, vt præteream hyperbolicam cryptæ longitudinem, quindecim milliariorum, niſi numero manus palmas, non autem Italicos paſſus, denotare volucrit.

Sunt

Sunt qui ſiniſtrè interpretato Marco Varrone, Lucium Lucullum huius operis auctorem fuiſſe contendant, dum hæc quæ ſequuntur apud ipſum ſcripta reperiant. *Etenim hac incuria laborare aiebat. M. Lucullum, & piſcinas eius deſpiciebat, quod æſtuaria idonea non haberent, ac in reſidem aquam, & locis peſtilentibus habitarent piſces eius, Contra ad Neapolim L. Lucullus, poſtea quam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quæ reciprocæ fluerent ipſe Neptuno non cæderet de piſcatu, factum eſt enim, vt amatos piſces ſuos videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora, vt Apuli ſolent pecuarij, quòd propter calores in montes Sabinos pecus ducunt, &c.* *lib. 3. de re ruſ. c. 17.*

Sed quantum mare ab Occidentali huius cryptę oſtio diſtat, tantum hoc ad Varronis verba gloſſema, ab auctoris ſenſu declinat, vt fallitur quoque Cluuerius, vt bene aduertit Franciſcus Scotus in itin. Italię; nam præter ſcopulum, propè Neapolim perforatus quondam à Lucullo, qui arcem ob viri memoriam, Lucullanam dictam, ſuſtentat; alium habemus inter Pauſilypum, & Neſidem multis fornicibus pertuſum, cui verba Varronis quadrant, de quo latius infra; & quidem non abs re apud Mazzellam, quidam Poeta cecinit.

Viſcera quis ferro eſt auſus prorumpere montis,
Cautibus in duris quis patefecit iter?
Coccelum, verum eſt, ſaxum, montemque cauaſſe
Vanaque iam ceſſet fama Luculle tua. *de anti. Puteol.*

Stra-

Strabo, cuius rerum antiquarum traditionibus ſumma debetur fides, quæ ſequuntur, de hac noſtra crypta memoriæ prodidit; dum de ea, quæ ab Auerno ad Cumas vſque erat excauata, verba facit. *Conſciſſaque deinde vſque Cumas ſubterranea foſſa, omnia illa fabulæ apparuerunt. Cocceium eam quidem condidiſſe foſſam memoriæ proditum eſt, & eam quæ ex Dicearchia ideſt Puteolis extat Neap.* lib. 5.

Verùm quis iſte Cocceius fuerit (vt taceam quendam Baſſum, ab aliquibus inconſultè huius operis auctorem exiſtimatum) & de qua gente, non conſtat, ac ſi de re tot ſeculis à nobis remota, aliquid conijcere liceret, auderem ego affirmare illum Cocceium Græcum fuiſſe Cumanum, ſolertiſſimum virum, qui memorabilis illius vrbis primordijs ad quamplures accomodatiſſimos fines, quos coniectare vniuſquiſque faciliter poteſt, tam Cumis ad Auernum lacum cryptam, quam hanc Puteolis venientibus Neapolim, in montibus aperuiſſe; etenim Strabonis ætate, quam ab vrbe condita non adhuc ſeptem præceſſerant ſæcula, ſi ingentia illa antra, Romanorum conſilio, excisa forte fuiſſent; cum minoris admirationis opera naſcentis Romæ apud Liuium, ipſumque Strabonem notata paſſim legantur, tantorum tamque admirabilium facinorum auctorum, atque temporum memoriam non præterijſſent; cum itaque ante Romani Imperij Maieſtatem Cumani ea loca incoluiſſent, in quibus cum non ſolum excisa antra, ſed ſuperbiſſimos tholos adhuc conſtan-

tes

tes, moleſque Putcolanas, ſine certi auctoris nomine, non ſine ſumma admiratione, conſpiciamus, credere non eſt à veritate alienum, Græcarum illarum coloniarum Principes, per annorum ſeriem, ijs extruendis, accuratiſſimè operibus vacaſſe, quod ipſemet Strabo teſtatur. *Nam*, inquit *cum in condendis ædificijs Græci acuti maximè, ac ſolertes fuiſſe videantur, cum pulchritudinem, & munimentum ingeniosè proſpicerent, portuſque, & agri feracitatem, hi ea maximè animaduerterent, quæ illi parui fecerunt. Strata viarum, aquę ductus, cloacas, quibus ciuitatis ſordes eluerentur. Cernere licet ſtratas in agro vias, exciſis ad hęc collibus, exaggeratis vallibus, vnde, &c.* Fuiſſe ergo hominem Cumanum nomine Cocceium, qui huiuſmodi fornices excidendos conſuluit, non eſt vt inficias eam; ſed hunc illum fuiſſe Cocceium, quem ſic notauit Pontanus. *Neſcio an is, fuerit M. Cocceius Nerua Auguſti auus, qui Romę aquarum curam habuit tulitque maximam architecturæ laudem.* Vt cum eo aliqui rentur, aſſentiri minimè poſſum; & cum Starbo neque id de ſuo Cocceio aſſeueranter affirmet, fatendum eſt cum Blondo. *Quis autem memorabile id opus fecit, ignoratum eſt nobis.*

lib. 5.

de mir. gn. c. 104

In Ital. cap. de Capua.

Quam olim deinde hæc crypta habuerit longitudinem, latitudinem, & altitudinem, quot feneſtras, an vbique ſui tenebris obſcura, an lumine fuerit illuſtris; quid illi in his circunſtantijs per ſæcula euenerit, quæ noſtris diebus eius ſit diſpoſitio, nobis perquirendum ſupereſt.

Inter

Inter antiquos, primus Strabo de hoc antro, apud ſuum interpretem, huiuſmodi verba fecit. *Lib. 5.* *Extat, & his in locis intra montem effoſſa ſpelunea, in Dicearchiæ Neapoliſque medio, ſicut altera, Cumas tendens, facta; in qua via obuijs curribus peruia, multis panditur ſtadijs. E ſuperna ſanè montis parte, exciſis multifariam feneſtris, lumen in profunditatem infunditur.* Hæc Strabonis deſcriptio præſenti ſpeluncæ, in multis quadrare videtur; etenim nunc obuijs curribus eſt peruia, quatuor panditur ſtadijs, ac ſuperna montis parte, per exciſas feneſtras in ſui profunditatem lumen admittit; at audiamus Anneum Senecam, vna vel altera ætate Strabone iuniorem. *Ep. 57.* *Cum Baijs deberem Neapolim repetere, facilè credidi, tempeſtatem eſſe, ne iterùm nauem experirer. Sed tantum lutitota via fuit, vt poſſem videri nihilominus nauigaſſe, totù athletarù fatum fuit mihi illa die perpetiendum. Aceromate nos haphe excepit in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius: nihil illis faucibus obſcurius; quæ nobis præſtant, non vt per tenebras videamus: ſed vt ipſas. Cæterum etiam ſi locus haberet lumen, puluis auferret, in aperto quoque res grauis, & moleſta: quid illic, vbi inter ſe volutatur; & cum ſine vllo ſpiramento ſit, incluſus in ipſos, à quibus incitatus eſt, recidit? Duo incommoda inter ſe contraria ſimul pertulimus, eadem via, eodem die: & luto, & puluere laborauimus. Aliquid tamen illa obſcuritas, quod cogitarem dedit.* A commoditatibus ſpeluncæ à Strabone aſſignatis, multum detahit

Se-

Seneca, cui ſuffragatur id, quod de huius fornicis humilitate, ſcripſerat Petronius Arbitrer; extant enim hæc in ſuis fragmentis. *Satis conſtaret, eos, niſi inclinator, non ſolere tranſire cryptam Neapolitanam.* Strabonis itaque de ſpelunca traditionibus vetuſtorum, non inferioris auctoritatis auctorum, refragantur ſententiæ, lumen, ſpatiumque eius ab eo aſſignata, negantes, quod cum animaduertiſſet Lypſius, in adnotationibus in ea Senecæ verba; *Nihil illis faucibus obſcurius*; vt veram tanti viri ſententiam tueretur, ſequentibus eam verbis, ne adeò diſcors ab eo, quod à Strabone proditum erat, videretur, expoſuit. *Fauces, anguſti tranſitus etiam vocabantur: nè quis de aditu capiat, qui certè illuſtris; obſcuritas autem hic tempore Senecæ, & denſæ tenebræ, vt oſtendit: non æquè Strabonis, ideſt Tiberij. Oportuit hæc luminaria obſtructa quo, aut neglecta fuiſſe, ſi tàm denſę tunc tenebra.* Neque ab hac conciliatione diſſentit Cluuerius, nec quiuis neotericorum, præter Lypſianum, alium excogitauit inter notatos auctores, concordiæ modum; cui, & acquieuiſſe Capaccium quoque legimus, dum Petronij verba huiuſmodi explicationi donauit. *Quæſi vera iudicanda fuerint, cryptæ eo tempore tantam cernimus humilitatem, vt niſi inclinati, tranſire adeuntes non poſſent.* His ſic adnotatis, meum de re opportunum erit, in medium afferre, iudicium; vt cum vnus fuerim, qui balneorum reſtitutioni vacauerim, & pluſquam centies, per ſolidum annum, eam cryptam pertranſierim; ea

mihi

mihi conſultò obſeruaſſe accidit, quæ, tantorum virorum, tam diſſitas de hac ſpelunca exiſtrmatas ſententias, ſibi non aduerſari, illoſque verum protuliſſe, ſi eorum in rem ſcribendam, occaſio conſideretur, ac finis.

Primò itaque obſeruaui inculpatiſſimam ſpelunçę rectitudinem ab Oriente in Occidentem, ita vt nocturno tempore, ſiuè in vnius oſtij medio, ſiuè in arginibus accenſa fax ſit appoſita, ab altero oſtio ſemper integra videatur.

Secundò obſeruaui, per totam cryptæ longitudinem, æqualem ſui ſoli latitudinem, trium ſcilicet, paſſuum, ſiuè palmorum viginti duorum.

Tertiò notaui cryptę ſolum fuiſſe æquè exciſum, cum plano viarum, quæ tam à parte Orientali, quam Occidentali in aperto ſunt.

Quartò obſeruaui dictum cryptæ ſolum quamuis nunc, vt cæteræ Neapolis viæ, ſit duriſſimo ſaxo ſtratum, ſubtiliſſimi pulueris copia eſſe refertum, quæ ob euntium frequentiam eſt ferè ſemper in motu; vnde conieci in altioribus ſeculis, in quibus ſao ſtratum non erat exciſi montis ſolum, qui leuis eſt, & pumicis inſtar attritu molitur, maiorem atque mobiliorem pulueris continuiſſe abundantiam.

Quintò ſumma cum mea delectatione animaduerti, fornicis à ſolo altitudinem, quam in ſuis primordijs ab artifice meruit ſpelunca, æqualem fuiſſe ſuæ latitudini, palmorũ ſcilicet viginti duorum; nam qui cryptæ fornicem altiorem deinde

fe-

fecere, vbi primum excidere, ab vtraque parietum parte, duorum ferè palmorum montis portionem, quam olim in fornicem concurrisse, præsens dispositio ostendit, reliquere; atque ab Occidentali ostio, dum intra cryptam prosequitur iter, post quinquaginta quinque passus, adhuc hodie fornicem non maiorjs altitudinis, quam 22. palmorum per aliquod spatium, intuebitur; notaui etiam dictam fornicis altitudinem 22. palmorum, æqualem fuisse altitudini fornicis cryptæ ab Auerno, Cumas vsque excisæ; vnde non fortuitò vtramq; cryptam vnius fuisse auctoris opus, Strabo existimauit.

Sextò præsenti ostiorum dispositione cognoui, cryptam, vsque ad illud tempus, in quo primæuam altitudinem seruauit, quatuor habuisse fenestras in fornicis fastigio, lumen immittentes, ab Oriente duas, duasque ab Occidente, eo ordine, & situ in montis cliuo effossæ; vt superiorum lumen in cryptæ medium coiret, eamque illustrem redderet, quod per sequentem iconem, externorum oculis demonstrare conabor.


A
E
I
N
I
O

Erat, vt nunc quoq; est cryptę solũ ABCDEFG. passuum 400. fornix eius æqualis erat altitudinis palmorum 22. ab Orientali ostio per eius longitudinem, vsque ad Occidentale ostium. Cliuus montis Pausilypi Orientalis erat, vt nunc est AHLMN. Occidentalis verò GKPON. in cliuo itaque Orientali L. decem passibus supra fornicem excisa erat fenestra, cuius lumen feriebat cryptæ cursum B. scilicet post 60. passuum ab ostio A. quò forte lumen ostij A. non pertingebat; deinde in eodem cliuo Orientali M. in altitudine passuum 60. ab ostio A. alteram excisam habebat fenestram, obliquè per montem *in* cryptam descendentem, cuius lumen feriebat *solum* C. s. longè ab ostio A passuum 200. fiebatq; vt nunc etiam fit, eius diffusio licet languidè, vsque in D. quod est punctum cryptæ longitudinis medium. Simili deinde modo in cliuo montis Occidentali P. excisa fenestra lumen in F. alteraque *excisa in* cliuo O. lumen in E. deferebant. Ad id verò, quod Petronius retulit, cryptam transeuntes, curuos olim incessisse, facile puto respondendum, si consideretur pulueris abundantia, quę in solo ob montis mollitiem, quotidiè copiosior erat: pedibus agitata in fornicem ascendebat, ac vbi in medio obuoluebatur, res grauis erat, & molesta, ita vt progredientes inclinati necessariò prosequerentur iter, ne descendentem pulucrem in oculis, & aspectum reciperent, ni velimus, vt Capaccio placet, Petronij fabulam interpretando, asserere inclinatos ob reuerentiã per cryptam

tranſiſſe tunc homines, ex eo quia credebant in ſpelunca ſedem habere Priapum, quem ſuperſtitioſa olim Gentilitas in ſubterraneis tenebroſiſq; locis venerabatur, vt colligitur ex eiuſdem Petronij argumẽto,& ex ſuis, quę extant fragmentis;dũ Quartillæ ancillam ſic loquentem adducit. *Ego ſum ancilla Quartillę, cuius vos ſacrum ante cryptam turbaſtis.*

Talem fuiſſe cryptam ętate Strabonis eius conuincit deſcriptio; etenim ipſe, non vt viator; ſed veluti de ea ſcripturus conſultò latitudinem, longitudinem, & quas habebat feneſtras,animaduertit; proptereaque inquit. *In qua via obuijs curribus peruia, multis panditur ſtadijs. E ſuperna ſanè montis parte, exciſis multifariam feneſtris, lumen in profunditatem infunditur.* In huiuſmodi re tanti viri teſtimonium non eſt temerè interpretandum, licet paucis poſt annis Senecam in adducto loco potius ſuum infortunium, quam cryptam deſcribendo à Strabone in aliquibus diſſentire legamus; tranſijt quippè per ſpeluncam Seneca, non vt ſigillatim quidquid ex hominum induſtria in ea apparebat,notaret;ſed vt properaret Neapolim, cumque nouus fortè experiretur tranſitum, antri horrore perculſus,nil præter horrorem mente, & animo volutabat, ait enim. *Aliquid tamen illa obſcuritas,quod cogitarem dedit.* Accidit hoc illi, nubilo, & pluuio cœlo exiſtente,dum inquit. *Cum Baijs deberem Neapolim repetere, facilè credidi, tempeſtatem eſſe, nè iterùm nauem experirer. Sed tantùm luti tota via fuit, vt poſſem videri ni-*

lib. 5.

hilo-

hilominus nauigaſſe. Quod non parum horroris profundeque obſcuritatis loci naturæ addebat, eo magis ſi iam (vt credere veriſimile eſt, dum eodem die Baijs, quò Neapoli naui appulerat, Neapolim terreſtri itinere reuertebat) adueſperaſcebat; equidem fateor ingenuè, multoties mihi accidiſſe antrum tranſire, imbribus è cœlo cadentibus, ac quamuis centies fuiſſem locum expertus, ac quidquid in eo ars poterat callerem; cognoſcebam tamen id, quod tunc perpetiebar, exactiſſimè Senecæ deſcriptionibus quadrare, qui non ſpeluncam quidem, vti diximus; ſed id quod ex aſpectu ſpeluncæ tranſeuntibus accidit laſciuienti calamo, luxuriantibuſque verbis ſuo more amplificare curauit, vt ibidem, viarum lutum pro nauigabile pelago recipit. *Sed tantùm luti tota via fuit, vt poſſem videri nihilominus nauigaſſe.*

Perpendam hic id, quod in Strabonis textu, multorum legentium ingenia hactenus torſit, cum enim ſpeluncam aliam, ab Auerno Cumas tendentem deſcripſiſſet; obiter de hac Neapolitana ocaſione Coccei, quem vtriuſq; cryptæ auctorem facit, ſermonem protrahit; habemus primò apud Guarinum, eius interpretem huiuſmodi verba. *Cocceium eam quidem condidiſſe foſſam memoriæ proditum eſt, & eam, quæ ex Dicæarchia, ideſt Puteolis extat Neapolin ad Baias.* Verſio verò Silandri, in qua Caſaubonus acquieſcit, hæc habet. *Cum quidam Cocceius, qui cuniculum iſtum duxit, & alium à Putiolis ad Neapolim ſuper Baias tendentem.* &c. Cluuerius primus impropriam eam lo- *lib. 5.*

loquutionem ; *quæ ex Puteolis extat Neapolim ad Baias* ; animaduertit, iudicauitque exſcriptoris alicuius, non Strabonis calamum talem fœda ſſe locum. *Quippè*, ait, *quum Baiæ citrà Puteolos ſint, qui hic cuniculus eſſe potuit à Puteolis verſus Neapolim ſuper Baias tendens?* Subditque poſt multa. *Quapropter omninò ſtatuendum, locum illum à Sciolo exſcriptore gloſſematio eſſe fœdatum*. Camillus deinde Pellegrinus in ſua Campania, iure meriro Cluuerium de eo loco dubitaſſe, ait ; verùm ſe in data ab eo dubij ſolutione non acquieſcere, ſubiunxit, noua ſuperaddita interpretatione; vult enim Strabonem notato in loco, nullo modo de crypta Neapolitana, ſub Pauſilypo monte effoſſa, ea verba protuliſſe; verùm de alia, quę à Puteolis tenderet ad Baias: nam per dictionem illam *Neapolim*, non intelligit Pellegrinus hanc præſentem vrbem Neapolis ; ſed aliam, quæ Strabonis temporibus, noua, in Baijs conſtruebatur, innixus Cluuerij obſeruationi (propter quam, illum carpit) in dictione Νεάπολις, circa quam hęc ſcripſit. *Ipſe Strabo in deſcriptione vrbis Neapolis, vbique habet vnica voce* ἡ Νεάπολις, τῆς Νεαπόλεως, τῇ Νεαπόλει ; *at illic eſt.* ἐπὶ νέαν πόλιν; At, ait Pellegrinus, in hoc loco diuiſit auctor dictionem, ſic ſcribendo ἐπὶ νέαν πόλιν; vt co nnotaret nouam illam vrbem, quæ Baijs condebatur, quod confirmat Ioſephi Hæbrei auctoritate, ita ſcribentis. *Apud Baias noua vrbs conſtruitur, non minor Puteolis, alijs ſubindè ſuprà alias regijs villis ibi ædificatis*. Verùm ſi ſpatij

in Cap. diſer. c. 20.

atomus

atomus dictioni interpoſita Pellegrini aciem non aufugit (quod neque, vt ipſe retur, apud Strabonem ſemper verum) mare per Lucrinum in Auerni lacum immiſſum inter Putcolos,& Baias,trium millium paſſuum latitudinis, eius obtutum aufugere non debebat; nam eo perſpecto, credere ſubterraneam cryptam, (niſi ſubter fluctus eam effoſsam voluerit) à Puteolis ad Baias fuiſſe aliquando excauatam, Camilli, non fuiſſet iudicij; neque mirari deſino accuratiſſimum alioquin Pellegrinum non animaduertiſſe,eundem Strabonem paucis, poſt notatum locum, interiectis lineis, vbi omni procul dubio, de Neapolitana crypta ſub Pauſilypo excauata loquitur; eammet deſcripſiſſe, quam ſuprà in loco, de quo dubium agitamus,notauit; ſunt enim hęc apud ſuum interpretem verba, quæ ipſe quoquè Camillus adducit. *Eſt & ibi foſſa occulta, per montem Putiolis, ac Neapoli interpoſitum, acta, eodem modo, quo aliam Cumas versùm diximus fuiſſe ductam.* Docere ne hic ceſſat auctor, foſſam à Putcolis Neapolim tendentem,quam ſuprà ſpeluncæ ab Auerno Cumas conſtructæ obiter comparauerat, eandem fuiſſe,quam ſecunda hac vice, ſeruata locorum ſucceſſione,ſpeciatim deſcribit? *lib. 5.*

Cum hæc perpenderem, & Cluuerio magis, quam Pellegrino hærerem, Ingenuo viro amico Bernardo de Criſtofano legum perito, omnium bonarum litterarum eruditionibus referto, & in Græcis precipuè conſummatiſſimo, dubium propoſui, & exacta ſua trutina Greco Strabonis tex-

tu, eiuſque verborum contextu exploratis, aliam ad dubij intelligentiam aperuit viam.

Interpretum incuria (accuratiſſimus retulit vir) vnius dictionis ſenſu non animaduerſo, Capacciũ, Cluuerium, & Pellegrinum in dubium traxit, qui vel erraſſe Geopraphum, vel de tertia, prẹter eas duas, altera ab Auerno Cumas, & altera Puteolis Neapolim effoſſa, loquutum fuiſſe, crypta, exiſtimarunt; liceat igitur, vt Strabonem, accuratiſſimum alioquin ſcriptorem ab vtroq; crimine vendicem, ex Græco codice, illius loci verborum afferre contextum, vt deindè ad litteram verſio, interpretum errorem detegat.

Νυνὶ δὲ τῆς μὲν ὕλης τῆς περὶ τὸ ἄορνον κοπείσης ὑπὸ Ἀγρίππα τῶν δὲ χωρίων κατοικοδομηθέντων ὑπὸ δὲ τοῦ Ἄορνου διώρυγος ὑπονόμου τμηθείσης μέχρι Κύμης ὡ πάντ' ἐκεῖνα ἐθάνη μῦθος: τοῦ Κοκκηΐου τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγα ἐκείνην τε καὶ ἐπὶ νέαν πόλιν ἐκ Δικαιαρχίας ἐπὶ τῶς Βαίαις.

Huius loci ad litteram verſio in Latinum, abſq; vllo fuco huiuſmodi eſt. *At nunc quidem ſyluæ circa Auernum ceſſura ſub Agrippa, (facta eſt) hęc loca ad habitandum accommodante, & ab Auerno foſſa cuniculo ſciſſa eſt vſque Cumas: vnde omnia illa apparuerunt fabulæ. Cocceio artifice, & huius foſſæ, & illius quæ verſus Neapolim ex Puteolis poſt Baias, vel contra Baias:* non autem *ad*, vel *ſupra Baias*.

Interpretes ergo fefellit præpoſitio illa, ἐπὶ, præpoſita, τῶς Βαίαις particula enim, ἐπὶ, apud linguæ grammaticos, tribus caſibus copulatur, ge-

genitiuo ſcilicet, datiuo, & accuſatiuo; dum genitiuo iungitur, tempus ſignificat, aut ſubiectionem, item circa aliquid, aut per aliquid, item iuxta, pro, ante, vel ſupra; dum verò datiuo nectitur, cauſæ nota eſt dixit Scapula, & ſignificat, propter, poſt, contra: tandem ſi accuſatiuo copuletur, ad, vel, in, ſignificat, vel motum aliquò verſus, itaque Strabo ſcriptor accuratiſſimus particulam, ἐπί, duplici caſui præpoſuit, primò ſcilicet accuſatiuo ἐπὶ νέαν πόλιν, copulauit, ſonumq; efficit *ad Neapolim*, vel *verſus Neapolim*, ſecundo verò datiuo, ἐπὶ τοῖς Βάιαις, iunxit, ſonatque *poſt*, vel *contra Baias*; ita vt auctoris ſit ſenſus. *Quę verſus Neapolim ex Puteolis poſt, vel contra Baias*; nam Puteoli poſt Baias, & contra Baias poſiti ſunt.

Præterea non pigebit hic, id, quod ego ad dubij ſolutionem excogitaui, ſubiungere; quippè cum mecum ipſe volutaſſem locum Strabonis, in quo ſpeciatim de Neapolitana crypta ſequentibus verbis, alias relatis, ſcripſit. *Extat, & his in locis, intra montem effoſſa ſpelunca, in Dicearchię Neapoliſque medio, ſicut altera Cumas tendens facta.* Cognoui ex vltima hac periodo, auctorem declarauiſſe illam cryptam, *Quę ex Dicearchia, ideſt Puteolis extat Neapolim ad Baias*, quam cryptæ, Cumas ductę, ſuprà Comparauerat, nullam fuiſſe aliam, niſi eammet, quam actam deinde dixit, *in Dicearchiæ, Neapoliſque medio.* Dictionem illam, *Baias*, cum præpoſitione, *ad*, quæ, ſenſum confundit, & ſubuertit, nil vnionis, cum præcedenti habere viſum

ſum fuit periodo;ſed illi finale punctum præcedere debere,exiſtimaui; etenim cum auctor, occaſione Baiarum,paulò ſupra de Cimmerijs ſermonem inſtituiſſet, quem, res ab Agrippa, & Cocceio geſtas obiter recitando, abſoluit:cum deindè iterum Baiarum narrationem reſumere vellet *ad Baias*, ſubiunxit,quaſi dixiſſet,*reuertamus nunc ad Baias*; quod ſequenti ſermone ſatis luculenter oſtendit; legenda itaque erit,meo iudicio, apud Guarinum huiuſmodi loci tranſlatio. *Et eam, quæ ex Dicearchia,ideſt Puteolis extat Neapolim,Ad Baias:quodam modo eum ſequutus ſermonem, qui proxime de Cimmerijs, &c.* Et in illa apud Silandrum. *Ad Neapolim ſuper Baias,&c.* Sicut, & ipſe Græcæ dictioni, ἐπὶ,*ad*,præbuit,*ad Neapolĩ*,ita,*ſuper*, ex eadẽ,ἐπὶ, *ad*,ſubſtituenda particula erit,*ad Baias*.

His omnibus de crypta adnotatis; ſupereſt, vt ſuggeram eam ad vſq;Alphonſi Primi Regis Aragonij tempus in ea diſpoſitione perſtitiſſe,quam, per iconem ſupra tradidimus, ac Magnanimus ille Rex primus fuit, qui primæuum humilem ſpeluncæ fornicem oſtij Orientalis, altiorem excidere fecit; ab H. ſcilicet ad primam, & antiquam vſque feneſtram L.eandemque altitudinem ſenſim declinantem,vltrà medium cryptę curſum producendam curauit. Carolus Cęſar Quintus deinde, vt pulueris fomitem auferret, vt ſolum dura ſilice ſterneretur, effecit, ac magnificè perfecto opere, neque vitare fuit poſſibile, quin puluis,qui eò introducitur,commotus,imane cryptæ pererrans, recidenſq, res grauis tranſeuntibus,atq; moleſta ſit.

Tan-

Tandẽ Peraphanus de Ribera Alcalenſium dux, & regni moderator, Occidentale cryptę oſtiũ ab K. ad primam vſque feneſtram P. vt Orientale erat, altiùs reddidit, verùm non vltrà F. vbi intra ſpeluncã prima feneſtra aperiebatur. Antrũ itaq; quale nũc extat, ſequẽti icone exprimere curauimus.



Præſens longitudo cryptę ABCDEFG. fornice obducta, paſſuum eſt 400. ſupereſt, tam in parte Orientali, quam Occidentali, aliquid viæ in monte effoſſæ; ſed ſine fornice, longitudinis paſſuum circiter centum, ita vt antiquitus medio milliare, ſiuè quatuor ſtadijs nunquam cryptam fuiſſe longiorem, ſit extra dubium.

Latitudo per totum ſpeluncæ curſum vniformis eſt, paſſuum trium.

In puncto medio longitudinis D. ſiniſtrorſum ab Oriente venientibus, ſacellum ipſomet in monte excauatum, Deiparæ imaginem ſeruans, die noctuque lampadibus accenſis illuſtre, perſpectatur.

Altitudo oſtij AHL. palmorum eſt circiter centum, AH. oſtium erat antiquum palmorum 22. L. erat prima feneſtra, quæ antiquitus lumen deferebat in B. Alphonſius itaque curauit, vt excideretur mons inter H. & L. ad E. vſque; Peraphanus verò fecit, vt in parte Occidentali ſimiliter excideretur mons inter K. antiquum oſtium, & P. antiquam feneſtram, in F. vſque vndè eſt, quod duæ primæ feneſtræ P. & L. quæ lumen in B. & F. importabant cum preſentibus ſunt oſtijs, & in ijs defecere; extant nunc reliquæ duæ M. & O. quarum Orientalis M. quia omni obſtruente vacat, integrum ſuum lumen impertitur; Occidentalis verò O. quia tota ferè obſtructa eſt à parte montis ſuperiore; vix exilis radius, eius aditus eſt argumentum; quapropter nos antequam aliò eamus, vt aliquantulum adderemus luminis, à Cœleſtino Guicciardi-

no

po Apollineum hoc mutuati ſumus munus.

Æmula naturę quid tandem poſſit in orbe, *in mer.*
Faucibus en patulis obuia crypta docet. *camp.*
Carcere nil hoc longius, aut obſcurius vſquam
Hìc tenebras cernis, per tenebraſque vides.
Num parum erat fragili ligno percurrere Pontum,
Ni quoq; ſub terra plauſtra vehenda forent?
Audax qui primus freta, verùm audacior ille,
Peruia, qui potuit reddere ſaxa prius.

Prænotatis de crypta obſeruationibus, vt cętera, quæ in Pauſilypo notatu ſunt digna, luſtremus; non pigebit viatorem ad turrim *Chiaiæ* regredi, ac ſiniſtrum iter per litus, iterum Pauſilypum versùs progredi; nam incipiente cliuo, dextrorſum in pariete, qui cœnobij pomoerium claudit, marmoreum intuebitur lapidem Ducis Medinæ *de las Torres* gloriç erectum, qui inacceſſum curribus, per litus Pauſilypi iter peruium, commodumque reddidit; habenturque hæc in lapide.

Philippo IV. Rege
Collem pendentibus ſemitis inacceſſum,
Olim à Cocceio Xerſis emulatione perfoſſum;
Aſcenſu facilem, curribus peruium reddidit
D. Ramirus Guſmanus, Dux Medinæ *delas Torres* Princeps Oſtiliani, Dux Sablonetæ,
Ac Neapolis Prorex.
Viator;
Ne opus heroiçum ambigas,
Via ad ardua, quaſi ad ſuperos ſtrata eſt.
Anno à Chriſto nato M.DC. XLIII.

A mar-

A marmore expeditus viam per litus ſiniſtrà relinquat, ac per eam dirigat greſſus, quæ placidè cliuum aſcendit; nam à dextera primò ianua occurret, quæ ad proximum cœnobium diuæ Marię *di piedi Grotta* ducit, ea prætergreſſa, poſt paucum interuallum, altera ſuccedit, in cuius fronte ſequentis figuræ paruum, vetuſtumque marmor, litteris his inſculptis proſpicitur.

Cęlant fortè verba amantis hominis myſterium; eo enim in loco placidiſſimę amœnitates, non ſolum Sirij æſtus: ſed Cupidinis quoque ignes forſan mulcebant; hac porta, in villam introducimur, quæ Virgilij Maronis tumulum, in ſuis receſſibus condit, poſt ingreſſum, quum aſcenſum tentare volumus, alterum ſe nobis offert marmor, ſupra quendam poſitum arcum, ſequentibus lineis inculptis, Maro-

Maronis Vrnam
Cum adiacenti monticulo, extenſaque ad cryptam planitie modiorum triũ cum dimidio circiter; Vrbano VIII. annuente, ac Reuerendiſſimo D. Gregorio Peccerillo, Vicario Neapolitano, vna cum admodum Reuerendo D. Io. Vincentio Iouene, Canonico Cimiliarca Neapolitanæ Archiepiſcopalis, delegatis exequutoribus, annuo addicto cenſu duc. 52. Domino Ioſepho Vitale, eiuſque in æuum ſucceſſoribus Canonici Regulares Lateranenſes conceſſere, anno ſalutis 1643.
Renouanda memoria preſentis conceſſionis ſingulis 28. annis in actis Curiæ Archiepiſcopalis.

Quibus perlectis, anguſto, hirtoque calle, qui dextrorſum paulatim inclinat, per paſſus ferè 60. in exciſam rupem, cryptæ oſtio imminentem gradientes ferimur; occurret ibi primò ædicula, ſtructuræ non nimium vetuſtè, quam falsò Virgiliani cineris tumulum aliqui exiſtimarunt; illam itaque declina, & anguſtum callem Occidentem

verſus proſequere;nam tunc paucis paſſibus,in excauatum in monte locum,cryptę ſupercilio parallelum,deſcendes, in quo perſtantem adhuc tumulum,magni Maronis cineribus, intra exciſi montis profunditatem pedum 40. veluti foſſa munitum à ſiniſtra parte oſtij cryptæ, vbi tunc per primam feneſtra lumini erat ingreſſus, excitauit Auguſtus Cæſar, qui Razzanum, & Blondum neſcio quomodo latuit; huius quadrata baſis in quolibet latere palmos habet viginti, erectique ſuper eam parietes, eiuſdem menſuræ altitudinem ſeruantes; exerta circum circiter corona exornati, tholum ſuſtentant altitudinis palmorum quindecim; in parietum lateribus excauatæ, nunc quoque viſuntur ædiculæ ſimulacris fortè deſtinatæ marmoreis, circa baſim intus habet inane cubiculum,à parte Auſtrali,& Septentrionali adapertum;extra,à parte Septentrionali inane habet præruptum,profundumque cryptæ orificium; ſed à ſitu Occidentali, & Auſtrali, exciſo hirtoque monte clauditur; ferunt, olim ibi marmor fuiſſe, huius modi literis inſculptis.

Siſte.viator.quæſo.pauca.legito.
Hic.Maro.ſitus eſt.

Nunc verò in Auſtrali montis facie è regione, qua tumuli proſpectat ingreſſum, recens eſt marmor infixum, ſequenti diſtiticho inſculpto.

Qui cineres tumulo hęc veſtigia? conditur olim
Ille hoc,qui cecinit paſcua,rura,duces.

Nar-

Narrabat, vt refert Capaccius, Alphonsus Heredia Arianensis Episcopus ex familia Canonicorum Regularium, qui in cœnobio Diuæ Mariæ *di Piedegrotta* viuebnt, in medio cubiculi descripti tumuli, olim nouem erectas mansisse columellas, marmoream arcam, Poetæ cineres seruantem, sustentantes, in cuius fronte distichon, quod apud Donatum est, legebatur. *de ant. Puteol.*

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

Petrus de Stephano templorum Neapolitanorum scriptor, Virgilianum hunc tumulum circa annum 1550. cum vrna se vidisse testatur. Ioannes Villanus in sua chronica Parthenopea, refert, Neapolitanos, Mantuanis, vrnam petentibus, cessisse; aliqui, affirmant Canonicos Regulares Insubres, olim Villæ dominos, vrnam surripuisse; at idem Arianensis Episcopus aiebat vrnam, columellas, & simulacra quædam à Cardinali de Mantua, Canonicorum Regularium patrono, à tumulo fuisse extracta, vt ab eomet Mantuam asportarentur; verùm eundo cum Genua extremum clausisset diem, furtum Genua fortè remansisse; sed cum neque Genua celebrentur hi cineres, neque Mantua, quæ Virgilij effigiem, non secus ac Sapphi Lesbij, atque Homeri Chij, numismatibus signare solita, tam magnifaciendum depositum ostentet, ad id credendum lectoris arbitrium non cogam; sed lepidi poetæ distichon tantum illi proponam.

Quod scissus tumulus; quod fracta sit vrna, quid inde?

de ant. Puteol. *Sat celebris lucus nomine Vatis erit.*

Interimque non præteream referre, quondam ad Capaccij manus peruenisse numisma, ita signatum.

Placuit multis huius tumuli locum, circunstantemque collem non solum ex Maronis tumulo denominasse, cuius etiam fuit villa, quam Silius deindè Italicus possedit, vt diserto epigrammate hoc lusit Martialis.

lib. 11. epigra. 59.

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi, qui Ciceronis habet.
Hæredem, dominumque sui, tumulique lariſque
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

Sed nomen quoque habuisse Patulcidis, siue Patulcij; vt ex marmore, ibi reperto, testatur Capaccius, quod superstes hactenus incolarum memoria confirmat; appellitant enim eum *Monte Patruscolo*; hic cum à parte Septentrionali Antiniano colle terminetur, Pontani quondam dilectissima Villa, ipse facta in nymphas vtriusque metamorphosi, in libris amorum, tumulorum, &

eclo-

& eclogarum, vtrumque Patulcidem,& Antinianam reddidit.

tumul. lib.1.

Ergo agite ò nymphæ Sebethides, ergo age virgo
Parthenope,ad tumulum spargite veris opes,
Sparge tuos flores florum fœcunda Patulcis,
Et tu sparge tuas Antiniana rosas.

Et alibi.

te culta Patulcis,
Illum pro foribus Antiniana manet.

Eridan. lib. 1.

Ac alibi.

Fessa sub Hesperidum ramis formosa Patulcis
Ducebat somnos,& grauis aestus erat.
Spirabant zephyri, zephyris strepit aurea sylua;
Sylua ciet somnos,& sopor ipse iuuat.

ibid.lib. 11.

Ecce Niuanus adest, non expectatus amator,
Dum puer in volucres retia tenta parat.
Exilit hæc somno,puerumque amplexa locauit
Blanda toro,blandis perfruiturque iocis.

Alibique.

Nunc nos ad virides vocat Antiniana recessus,
Et vocat ad primas blanda puella rosas.
Nunc offert sese choreis spectata Patulcis,
Læta suis hortis,læta Patulcis agris.
Nil agro vberius,nil est felicius hortis.

Atque in eclogis.

Non igitur tantum Meliseus,& vna Patulcis.

De quo Patulco,& Antiniano eruditus Petrus Summontius vir, in adnotationibus ad ipsum Iouianum Pontanum, quæ sequuntur scripsit.

Antiniana, & Patulcis Neapoli mons ab Occidente imminet,salubritate,& villarum frequentia

nobilis. In quo locus eſt Antinianum nomine, vbi Pontanus villam habuit, hoc etiam in monte Patulcium eſt, ad ſecundum ferè ab vrbe lapidem, in via, cuius adhuc veſtigia extant, Puteolana, clarum ſepulcro Maronis, quod ſæpe Pontanus ſub Patulcis nymphæ nomine celebrans ad Virgilium ipſum alludit.

Per hunc montem Virgilij genium aliquando errauiſſe, poeta quidam non inconcinno carmine finxit.

Tu ne ſacrum fœlix aluiſti terra Maronem?
Tu ne pias celas oſſa beata ſinus?
Anne etiam, vt fama eſt vatis placidiſſima ſæpè
Inter odoratum cernitur vmbra nemus?
Fœlices oculi fortunatiſſima ſylua,
Et quidquid ſancto cernitur in nemore,
Cui non ſit dulci patria tua dulcior ora?
Quis non te lucis præferet Elyſÿs.

Id quod etiam, iocando, annuit Hieronymus Fracaſtorius in ſua Siphilide.

Parthenope, placiduſque cauo Sebethus in antro
Plauſerunt, vmbreſque ſacri, maneſq; Maronis.

Cumque ſuper hoc Maronis tumulo, iuſtas ſoluentes inferias, multorum virorum muſæ cygneas fuderint lacrymas, noluimus hic eas non colligentes, illius detrahere gloriæ, qui adeò noſtram hanc decorauit Parthenopem, ſuum illam mauſoleum legando.

Aſclepiadius.

Titiron, ac ſegetes cecini Maro, & arma virumqne
Mantua me genuit, Parthenope ſepelit.

Idem.

Idem.

Sicanius vates ſiluis Aſtræus in aruis;
Mœonius bellis ipſe poeta fuit.
Mantua ſe victa præclari iactat alumni.
Parthenope famam morte Maronis habet.

Euſtheniusꝰ

Virgilius iacet hic, qui paſcua verſibus edit,
Et ruris cultus, & Phrygis arma viri.

Idem.

Quiſquis es externi titulum lege carminis, hoſpes;
Hac ego Virgilius ſum tumulatus humo,
Qui pecudum pariter, qui cultum fertilis agri,
Mox Anchiſiadæ bella ducis cecini.

Pompeianus.

Qui pecudes, qui rura canit, qui prælia vates;
In Calabris moriens hac requieſcit humo.

Idem.

Virgilij mihi nomen erat, quem Mantua felix
Edidit. Hic cineres vatis, & oſſa iacent,
Cuius in æternum paſtoris fiſtula viuet
Ruſtica, mox eadem Martia Calliope.

Maximianus.

Carminibus pecudes, & rus, & bella canendo,
Nomen inextinctum Virgilius meruit.

Idem.

Carmine bucolico nitui: cultoribus agri
Iura dedi. Cecini bella Latina ſimul.
Iamque ad luſtra decem Titan acceſſerat alter,
Cum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

Vitalis.

Mantua mi patria eſt, nomen Maro, carmine ſyluæ;

Ruraque cum bellis: Parthenope tumulat.
Idem.

Prima mihi Muſa eſt ſub fagi Tityrus vmbra;
Ad mea nauus humum iuſſa colonus arat.
Præliaque expertos cecini Troiana Latinos,
Fertque meos cineres inclyta Parthenope.
Baſilius.

Qui ſyluas, & agros, & prælia verſibus ornat,
Mole ſub hac ſitus eſt, ecce poeta Maro.
Idem.

Hoc iacet in tumulo vates imitator Homeri,
Qui canit Auſonio carmine primus oues.
Ad cultos hinc tranſit agros. Æneidos autem
Non emendatum morte reliquit opus.
Aſmenus.

Paſtorum vates ego ſum, cui rura, duceſque
Carmina ſunt: hic me preſſit acerba quies.
Idem.

Bucolica Auſonio primus, qui carmine feci,
Mox præcepta dedi verſibus agricolę.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi
Hunc mihi defuncto fata dedere locum.
Vomanus.

A ſyluis ad agros, ab agris ad prælia venit,
Muſa Maronæo nobilis ingenio.
Idem.

Tityre te Latio cecinit mea fiſtula verſu,
Præceptiſque meis ruſticus arua colit,
Ac, ne Muſa carens vitijs Æneidos eſſet,
Perfida me celeri fata tulere nece.
Euphorbus.

Bu-

Bucolica expreſſi,& ruris precepta colendi;
Mox cecini pugnas,mortuus hic habito.
Idem.

Romuleum Sicula qui fingit carmen auena,
Ruricolaſque docet,qua ratione ſerant;
Quique Latinorum memorat fera bella, Phrygaſque
Hic cubat,hic meruit perpetuam requiem.
Iulianus.

Hic data Virgilio requies,qui carmine dulci,
Et Pana,& ſegetes, & fera bella canit.
Idem.

Qui paſtorali peragrauit Mænala muſa,
Ruraque,& Æneę concinit arma Maro.

Ille,decem luſtris geminos poſtquã adäidit annos,
Conceſſit fatis,& ſitus hoc tumulo eſt.
Hilaſius.

Paſtores cecini:docui qui cultus in agris;
Prælia deſcripſi,contegor hoc tumulo.
Idem.

Hęc tibi Virgilio,domus eſt ęterna ſepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio.

Mænalium carmen,qui profers ore Latino,
Et cultus ſegetum,bellaque ſęua ducum.
Palladius.

Conditus hic ego ſum,cuius modo ruſtica muſa
Per ſyluas,per rus venit ad arma virum.
Idem.

Primus ego Auſonio paſtorum carmina verſu
Compoſui,& quo ſint rura colenda modo,
Poſt quibus Æneas Rutulos ſuperauerit armis
Vatis reliquias hæc pia terra fouet.

Marcus Antonius Casanoua.

Dicite, qui ripas Minci coluistis olores
Vobiscum exorta est gloria Virgilij?
Dic mihi Parthenope, sic sis pulcherrima semper,
Virgilius ne tuo decidit in gremio?
Et meruit, cui contigerat nasci inter olores,
Inter Sirenum decubuisse choros.

Ioannes Matteus Toscanus.

Virgilium cœlo Phœbus demisit; vt esset
Mæoniam posset, qui superare tubam,
Se vinci vt sensit, tunc æmulus ipse canorum;
Ante diem Stygio mersit in amne caput.

Franciscus Maria Molsa.

Hos Musis in serta Maro fragrantia flores
Dedicat, & dulcis pocula viua meri.
Quas olim faciles primis expertus ab annis
Hybla tuum vatem vicit, & Ascra tuum.
Nunc magni redit exuuias indutus Homeri,
Vos triplici heroi cingite fronde comam.
Este Deæ memores vestris vt maximus olim
Consilijs Graias fregerit vnus opes.

Franciscus Maurus.

Hic situs ille Maro est, toto qui viuit in orbe,
Cuius iam cineres, scriptaque nomen habent.
Hunc semper tumulum spectares floribus aptum,
Et laurum hanc pulchram fronde virere noua:
Allicit, atque fouet carmen iuuenesque senesq;
Delius hoc mirum (sic puto) fecit opus.
Tu flores ne lede sacros, sed disce viator
Huic vatum magno soluere vota Deo:
Peruigil hic serpens cœlestia munera seruat:

At

At fugit insontes, perpetuoque latet.
Si pietas est vlla tibi, suspiria ab imo
Pectore duc: lacrymis molliter ora riga.
Mors iuuenem rapuit, qui viuere secula dignus
Nondum perfecta parte laboris, erat:
Ipse tamen mirare opus hoc, laude illud Apellis:
Viuit enim magna gloria Calliopes.

Cœlestinus Guicciardinus.

Vestra hic mœrentes confringite plectra poetæ,
Nam sileant opus est, si tacet ipse Maro. *in mer. cur. cāpano.*

Tulupa Destitus.

Post syluas post ruris opes, post Arma, virumque
Sirenis gremio conditur altus olor.

Præter recentiorum vniuocum consensum, de hocce in hoc loco Maronis tumulo, Seruius, & Donatus, (licet de mortis loco dissentiant, alter enim Brunduſio, alter Tarenti Maronem extremum obijsse diem, contendit) primi de re testimonium perhibuere, quorum fidei non est derogandum: licet inani coniectura permotus aliter Cluuerius sentiat; est enim ipse voti, ab Orientali Neapolis parte sub Vesuuo, Virgilij tumulatos fuisse cineres, quod cōstare suadet ex illis Statij carminibus.

——en egomet somnum, & geniale sequutus *Syl. lib. 4.*
Littus, vbi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignauo pollice chordas
Pulso; Maroneique sedens in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis accanto magistri. *Et paulò post.*
Hæc ego Chalcidicis ad te Marcelle sonabam
Littoribus; fractas vbi Vesbius egerit iras.

En, commentatur Cluuerius, *vt diserte testatur*, *sub*

ſub Veſbio, ſiuè Veſuuiom onte, qui ab Orientali vrbis parte eſt, Virgilij fuiſſe monumentum cum templo appoſito. Notandum autem maximè, quod Statius ait, ſe littus ſequutum, & in littore magni tumulis accantaſſe magiſtri, ſedentem in margine templi eius: non verò per iuga montium reptaſſe. Quin via Puteolana, non per iugum montis, neque per littus tendebat, ſed introrſum per cryptam Neapolitanam.

At præterquamquod, vt rectè fatur Pellegrinus, ſeuerè nimium poeticas Cluuerius formulas interpretetur, nimiùmque exactas in poetarum carminibus hiſtoricas requirat narrationes, quę ſæpe in ipſiſmet hiſtoricorum traditionibus, pleniores deſiderantur; minime quidem inuenire ego poſſum coniecturę pauxillulùm, quo ex his Statij verbis id aucupetur Cluuerius; ſatis quidem dilucidè modulatur hic Statius, nec aliud Marcello, ad quem epiſtolam ſcribit, exponere vult, nec apertius exprimere poteſt; niſi ſe Neapoli manere ſua patria, & quid Neapoli agebat.

Littus, vbi Auſonio ſe condidit hiſpita portu
Parthenope.

Potuit ne clarius proferre ſe Neapolim incolere, vbi cum eſſet Virgilij ſepulcrum refert ſe in eius margine ſedentem, accantare magiſtri tumulo, quod relatis de ſitu Virgiliani tumuli à Tiberio Donato nequicquam contradicit; ſcripſit enim ille, quod *Traſlata iuſſu Auguſti eius oſſa*, ſcilicet Virgilij, *Neapolim fuere, ſepultaque in via Puteolana intra lapidem ſecundum.*

Nec ceſſat Papinius confirmare alijs carminibus,

bus,quibus Philippus triumphat, qnod Neapoli: non autem *ſub Vesbio*, contra eius ſententiam permanebat.

Hæc ego Chalcidicis, &c.

Quodnam eſt litus Chalcidicum, niſi Neapolitanum? audiatur Plinius. *Littore autem Neapolis Chalcidenſium, & ipſa Parthenope à tumulo Sirenis appellata*. Magna h c quippe me perculit admirat o, Cluuerium geographum,ac hiſtoricum non contemnendum, littori ſub Veſuuio exiſtenti,illa Statij verba,*littoribus Calcidicis*, interpretantem,Chalcidici cognomentum præbuiſſe; cum numquam Chalcidenſes, meminerim legiſſe ibi habuiſſe ſedem; niſi fortè per penitiſſimas Pelaſgorum tranſennas, illos illic conijcere velit; quod neque Pellegrinus rerum hiſtoricarum Argus aduertit; ideoque neutiquam de litrore ſub Vesbio potuit poeta verba facere; ſed neceſſariò de Neapolitano loquutus fuit. Cæterum cum manifeſtò, conſtet ex primis Papinij carminibus,quod ipſe Neapoli maneret,ſi in poſterioribus exponere voluiſſet, quod in Veſuuianis manebat littoribus, aut contra ſe diceret Poeta,aut ſi ſubVesbio commorabatur, Partenopen ſub Veſeuo ſtare oporteret,res ne ſomnianda quidem. Præterea(incredibilis in hac re doctiſſimi viri incuria)non nè confeſſus eſt, ex Statij verbis conſtare, ſub Vesbio ſepulcrum conſidere.*ſub Vesbio.*&c.*Virgilij fuiſſe monnmentum, &c.* eius ſunt verba:en continuò alibi tranſtulit; auſcultetur iterum. *Ex interuallo igitur duorum millium paſſuum,apud eum vicum* lib. 3. c. 5.

lo-

loquitur de tumulo, *fuiſſe deprehenditur, qui vulgo incolis vocatur S. Giouanni à Teduccio, inter Neapolim, & Veſuuium in litore poſitus*. Ac ſi fortè reſponderet, falſam ſuam applicationem dictionum Papinij ſub Veſeuo, non ità arctè accipiendam; fac eſſe, Statium, ſententiam, quæ ipſi videtur, dixiſſe; cur magis vico *di S. Giouanni à Teduccio*, ſine vllo adminiculo; quam loco vbi concordiſſimè omnes fatentur, tumulum manere, applicandam? Ad quod confirmandum, Cluuerioque vltrò oſtẽdendum, quodnam ſit Statij *littus Chalcidicum*; accedit huc ex Mergellina Sannazarus, quaſi duo Papinij loca explicans in Arcadia his verſibus.

Eclog. 10. *Cerca l'alta Cittade, oue i Calcidici*
Sopra'l vecchio ſepolcro ſi compoſero.

Ne quod ſuæ poſtea dedit gloriæ Bembus, Maronis, ſcilicet, muſa proximum vt tumulo, deperderet.

Et ſanè, ſi dum Neapoli vixit Maro, fuit ab Auguſto villa donatus in Pauſilypo, cuius à Pollione, Virgilio familiariſſimo, fuerat inſtitutus hæres, ab Auguſti humanitate alienum non fuiſſe exiſtimandum eſt, vt in defuncti villa ſuæ iuriſdictionis erecto tumulo, amici Poetæ cineribus genialiter parentaretur. Infelicioribus deindè ſuccedentibus fatis, vix vnus, ac pauper villam colebat, quam poſtea priſtino decori reſtituit Silius, quod notauit Martialis.

lib. 11. Epigr. 51. *Iam propè deſertos cineres, & ſancta Maronis*
Nomina, qui coleret, pauper, & vnus erat;
Silius

Silius Arpino tandem ſuccurrit agello,
Silius, & vatem non minus ipſe tulit.

Quæ omnia Seruij, & Donati teſtimonio ſuffulta, Cluuerianæ nouitati, ne pauxillulùm quidem probabilitatis relinquunt; vt neque Pellegrini iudicio, qui ſi dubio de tumulo, vt inquit, daretur locus, potius in via, quę Neapoli Puteolos per Antinianum erat olim frequens, illum poſitum fuiſſe ſibi ſuaſiſſet; verùm Petri Cardinalis Bembi auctoritati tantum ab vnoquoque deberi, Pellegrinus fatetur, vt Virgilij tumulum alibi ponere, quam vbi nunc illum veneratur, temerarium foret, quippè Actij Sincerij Mauſoleo huic loco proximo, ſic cecinit Bembus.

Da ſacro cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus muſa proximus, vt tumulo.

Verum enim verò impigra rerum natura, continuo veluti prodigio, Cluuerianæ nouitatis errorem demonſtrare conatur, etenim cum rariſſima vigeret in toto Pauſilypo laurus; prętérito ſeculo ſponte ſua, in cacumine tumuli nuper deſcripti, veluti in poetę cineribus germen habuiſſet, laurus adoleſcere cepit, quam cum Hieronymus Columna, Scipio Mazzella, Fabius Iordanus, & Paulus Portarellus litterarum, bonarumque artium cultores eorum quo inſpexiſſent, vt prodigij carmen tanto poetæ litarent; dum adhuc in loco tumuli morabantur, ſic primo cecinit Mazzella.

Vt viret hęc laurus tumulum, ſuper oſſa Maronis
Sic viret illius gloria, famæ decus.

Alterumque ſubiunxit tetraſtichon.

Quod

Quod ſacri vatis cineres, tumulumque Maronis,
Sponte ſua hic viridis laurus adulta tegat;
Indicat, & muſis, & diuis ſemper amicum
Virgilium, ſperet, cui fore nemo parem.

Fabius deinde Iordanus ſequenti, rem exaſticho expoſuit.

Buſta vbi grandiloqui ſteterant, tumuliq; Maronis,
Vaſtaque ſeclorum pondere ſaxa ruunt,
Delphica formoſis increuit frondibus arbor,
Atque iniuſſa ſacras explicat alta comas.
Ne tanti cineres vatis ſine honore iacerent,
Officium præſtat laurus amica ſuum.

Prolixiori demum carmine Paulus, vltrà lauri prodigium plura notauit.

Quod ſuper hunc tumulum creuit Parnaſia laurus
Sponte ſua, maneſque pij, atque oſſa Maronis,
Atque loci genium viridanti protegat vmbra,
Diuini vatis ſignat reuerenter honores,
Vt quoniam nemo anteillum, nec poſt erit vnquam,
Qui ſic ruris opes, tali vel carmine Reges,
Diceret, illius vigeat per ſecula nomen
Laurus, vt hæc tumulo ſolij frondentibus extat,
Obſeruatq; memor ſacri monumenta poetæ.

Circa verò annum 1600. venti impetu, cum è ſuperiori collis parte, euulſa populus fuiſſet, ſuper tumulum ruit, ac laurum fregit, quæ non amplius adoleuit; ſed vt mirabilior res videretur, non in tumuli apice, vt prius; ſed circa eius gibbum tam æquali in inuicem diſtantia lauri creuere, vt exactiſſimam coronæ figuram omnibus, hodie locum adeuntibus repreſentent, neque id humana

mana cura euenisse est coniecturę locus; cum tumuli altitudo, in ea parte telluris defectus, ac inculta laurorum complicatio contrarium omnino demonstrent, vnde, ne tanti viri Poetarū omnium, sine vllius inuidia, facile principis, tumulum laurorum feracem incuriosa posteritas oblitioni committat: placuit in amplo marmore, ante cryptę ingressum, erecto, post absolutas citra Puteolos balneorum notas. distichon prius, quod viuus Maro sui cineris vrnæ contexuit, deinde terrastichon lauris, quæ tanti poetæ adhuc cineres sponte coronant, obsequij ergo apponere.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.
Ecce meos cineres tumulantia saxa coronat
Laurus rara solo viuida Pausilypi.
Si tumulus ruat, æternùm hic monumenta Maronis
Seruabunt lauris, lauriferi cineres.

Cumque vitæ actus cineribus veneration em impertiantur, & heroum gesta in cineribus venerentur, ne inconsulto Maronis venerentur puluere s, eius vitam à Tiberio Donato descriptam, tumulo nos inscribere, non piguit.

PVBLIVS Virgilius Maro parentibus modicis fuit, & præcipuè patre Maro-
ne, quem quidam opificem figulum: plures, Magi cuiusdam viatoris initio mercenarium, mox ob industriam generum tradiderunt, quem quum agricolationi reique rusticę, & gregibus præfecisset socer, syluis coemundis

dis & apibus curandis reculam auxit. Natus eſt Cn. Pompeio Magno, & M. Licinio Craſſo primũ coſſ. Iduum Octobrium die, in pago qui Andes dicitur: qui eſt à Mantua non procul. Prægnans mater Maia, quum ſomniaſſet enixam ſe laureum ramum, quem compactum terræ coaluiſſe, & excreuiſſe illico in ſpeciem maturæ arboris, refertæ varijs pomis, & floribus cerneret: ſequenti luce cum marito rus propinquum petens, ex itinere diuertit, atque in ſubiecta foſſa partu leuata eſt. Ferunt, infantem, vt fuit editus, nec vagiſſe, & adcò miti vultu fuiſſe, vt haud dubiam ſpem proſperioris genituræ iam tum indicaret. Et acceſſit aliud præſagium, ſiquidem virga populea more regionis in puerperijs eodem ſtatim loco depacta, ita breui coaluit, vt multo antè ſatas populos adæquauerit: quæ arbor Virgilij ex eo dicta, atque conſecrata eſt, ſumma grauidarum & fœtarum religione, ſuſcipientium ibi, & ſoluentium vota.

Initia ætatis, id eſt vſque ad ſeptimum annum, Cremonæ egit: & XVII. anno virilem togam cepit, illis conſulibus iterum quibus natus erat. Euenitque vt eo ipſo die Lucretius poeta decederet. Sed Virgilius Cremona Mediolanum, & inde paulò poſt Neapolim tràſijt: vbi quum literis, & Græcis, & Latinis vehementiſſimam operam dedidiſſet, tandem omni cura omnique ſtudio indulſit medicinæ, & mathematicis. Quibus rebus quum ante alios eruditior peritiorque eſſet, ſe in Vrbem contulit: ſtatumque magiſtri ſtabuli equorum

rum Auguſti amicitiam nactus, multos varioſque morbos incidentes equis curauit. At Auguſtus in mercedem ſingulis diebus panes Virgilio, vt vni ex ſtabularijs, dari iuſſit. Interea à Crotoniatis pullus equi miræ pulchritudinis Cæſari dono fuit miſſus: qui omnium iudicio ſpem portendebat virtutis, & celeritatis immenſæ. Hunc quum aſpexiſſet Maro, magiſtro ſtabuli dixit natum eſſe ex morboſa equa, & nec viribus valiturum, nec celeritate: idque verum fuiſſe inuentum eſt. Quod quum magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes iuſſit. Quum item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur, & parentes eorum, dixit Virgilius, & animum celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum, Virgilio panes duplicari.

Dubitauit Auguſtus Octauijne filius eſſet, an alterius: idque Maronem aperire poſſe arbitratus eſt, quia canum, & equi naturam parenteſque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem partem domus vocat, & ſolum rogat an ſciat quiſnam eſſet, & quam ad felicitandos homines facultatem haberet. Noui, (inquit Maro) te Cæſarem Auguſtum, & ferme æquam cum dijs immortalibus poteſtatem habere ſcio, vt quem vis felicem facias. Eo animo ſum (reſpondit Cæſar) vt, ſi verum pro rogatu dixeris, beatum te felicemque reddam. Vtinam (ait Maro) interroganti tibi vera dicere queam. Tunc Auguſtus, Putant alij me natum Octauio, quidam ſuſpicanetur alio me genitum viro. Maro ſubridens, Facil-

(inquit) ſi impunè licenterque, quæ ſentio loqui iubes, id dicam. Affirmat Cæſar iureiurando, nullum eius dictum ægrè laturum, imò non niſi donatum ab eo diſceſſurum. Ad hæc, oculos oculis Auguſti infigens Maro, Facilius (ait) in cæteris animalibus qualitates parentum mathematicis, & philoſophis cognoſci poſſunt: in homine nequaquam poſſibile eſt. Sed de te coniecturam habeo ſimilem veri: vt quid exercuerit pater tuus, ſcire poſſim Attentè expectabat Auguſtus quidnam diceret. At ille, Quantum ego rem intelligere poſſum, piſtoris filius es, inquit. Obſtupuerat Cæſar, & ſtatim quo id pacto fieri potuerit, animo voluebat. Interrumpens Virgilius, Audi (inquit) quo pacto id conijcio. Quum quædam enuntiarim prædixerimque, quę intelligi ſcirique nonniſi ab eruditiſſimis ſummiſq; viris potuiſſent, tu princeps orbis iterum, & iterum, panes in mercedem dari iuſſiſti, quod quidem aut piſtoris, aut nati piſtore officium erat. Placuit Cæſari facetia. Ad deinceps, inquit, non à piſtore, ſed à rege magnanimo dona feres. Illumque plurimi fecit, & Pollioni commendauit.

Corpore, & ſtatura fuit grandi, aquilino colore, facie ruſticana, valetudine varia: nam plerumq; ab ſtomacho, & faucibus ac dolore capitis laborabat: ſanguinem etiam ſæpius eiecit. Cibi vinique minimi. Fama eſt eum libidinis pronioris in pueros fuiſſe: ſed boni ita eum pueros amaſſe putauerunt, vt Socrates Alcidiadem, & Plato ſuos pueros. Verùm inter omnes maximè dilexit Cebetem,

rem,& Alexandrum, quam ſecunda Bucollcorum ecloga Alexim appellat donatum ſibi ab Aſinio Pollione. Vtrumq; non ineruditum dimiſit:Alexandrum, grammaticum, Cebetem verò, & poetam. Vulgatum eſt, conſueuiſſe cum Plotia Hieria. Sed Aſconius Pedianus affirmat, ipſum poſtea minoribus natu narrare ſolitum, inuitatum quidem ſe à Vario ad communionem mulieris: verum ſe pertinaciſſimè recuſaſſe. Cętera ſanè vita,& ore,& animo, tam probum fuiſſe conſtat, vt Neapoli Parthenias vulgò appellaretur:ac, ſi quãdo Romæ (quo rariſſimè commeabat) viſeretur, in publico ſectantes, demonſtranteſque ſe,ſubterfugeret in proximum tectum. Bona autem cuiuſdam exulantis, offerente Auguſto, non ſuſtinuit accìpere. Poſſedit propè centies ſeſtertium ex liberalitatibus amicorum. Habuitque domum Romę in Exquilijs iuxta hortos Mæcenatianos:quãquam ſeceſſu Campaniæ Siciliæque plurimùm vtereretur. Quæcunque ab auguſto peteret, repulſam nunquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos iam grandis amiſit: ex quibus patrem oculis captum: & duos fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum iam adultum, cuiusį exitum ſub nomine Daphnidis deflet. Inter cætera ſtudia (vt ſupra diximus) medicinæ quoque, ac maximè mathematicæ operam dedit. Egit & cauſam vnam omnino, nec ampliùs quàm ſemel. Sermone tardiſſimum ac penè indocto ſimilem fuiſſe, Me iſſus tradidit.

Poeticam puer auſpiçatus, in Baliſtam ludi gladiatorij magiſtrum, ob infamiam latrociniorum, coopertum lapidibus, diſtichon fecit.

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus:
Nocte die tutum carpe viator iter.

Deinde Moretum, & Priapeia, & Epigrammata, & Diras, & Culicem, cum eſſet annorum quindecim: cuius materia talis eſt: Paſtor fatigatus æſtu, quum iſub arbore obdormiſſet, & ſerpens ad illum proreperet è palude, culex prouolauit, atq; inter duo tempora aculeum fixit paſtori. At ille continuo culicem continuit, & viſum ſerpentem interemit: ac ſepulchrum culici ſtatuit, & diſtichon fecit.

Parue culex, pecudum cuſtos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

Scripſit etiam (de qua ambigitur) Ætnam. Et mox, quum res Romanas inchoaſſet, offenſus materia, & nominum aſperitate, ad Buçolica tranſijt: maximè, vt Aſinium Pollionem, Alphenum varium, & Cornelium Gallum celebraret, quia in diſtributione agrorum, qui poſt Philippenſem victoriam veteranis, Triumuirorum iuſſu, trans Padum diuidebantur: indemnem ſe præſtitiſſent. Deinde Georgica in honorem Mæcenatis edidit, quum ſibi vixdum noto opem tuliſſet aduerſus Claudij veterani militis, vel (vt alij putant) Arij centurionis violentiam: à quo in altercatione litis agrariæ parum abfuit quin occideretur. Nouiſſimè autem Æneidem aggreſſus eſt, argumentum varium, & multiplex, & quaſi amborum Homeri

car-

carminum inſtar: præterea nominibus, ac rebus, Græci, Latiniſque communc:& in quoſquod maximè ſtudebat) Romanæ ſimul vrbis, & Auguſti origo continetetur. Quum Georgica ſcriberet, traditur quotidie meditatos manè plurimos verſus dictare ſolitus, ac per totum diem retractando ad pauciſſimos redigere: non abſurdè carmen ſe vrſę more parere dicens, & lambendo demum effingere. Æneida proſa priùs oratione formatam, digeſtamque in duodecim libros particulatim componere inſtituit, vt quidam tradunt. Alij eius ſententiæ ſunt vt exiſtiment cum, ſi diutius vixiſſet, quatuor, & viginti libros vſque ad Auguſti tempora ſcripturum: atque alia quidem percurſurum, Auguſti verò geſta diligentiſſimè exequuturum, quippè qui ; dum ſcriberet, nequid impetum moraretur, quædam imperfecta reliquit: alia leuiſſimis verſibus ſcripſit, quos per iocum pro tigillis vel tibicinibus interponi à ſe ſciebat, ad ſuſtinendum opus, donec ſolidę columnæ aduenirent.

Bucolica triennio, Aſinij Pollionis ſuaſu, perfecit. Hic tranſpadanam prouinciam regebat:cuius fauore, quum veteranis Auguſti in litibus Cremonenſium, & Mantuanorum agri diſtribuerentur, ſuos Virgilius non amiſit, Facta enim diſtributione, ſuos Claudio ſeu Ario datos recuperauit. Hunc Pollionem maximè amauit Maro, & dilectus ab eo magna munera tulit:quippe qui inuitatus ad cœnam, captus pulchritudine, & diligentia Alexandri Pollionis pueri, eum dono accepit. Huius Pollionis filium C. Aſinium, & Cor-

nelium Gallum, oratorem clarum,& Poetam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius.Is transtulit Euphormionem in Latinum :& libris quatuor amores suos de Cytheride scripsit. Hic primò in amicitia Cæsaris Augusti fuit, postea in suspicionem coniurationis contra illum adductus occisus est. Verùm vsque adeò hunc Gallum Virgilius amarat, vt quartus Georgicorum à medio vsque ad finem eius la dem contineret: quem postea, iubente Augusto, in Aristæi fabulam commutauit.Georgica septennio Neapoli, Æneida partim in Sicilia, partim in Campania vndecim annis confecit.Bucolica eo successu edidit, vt in scena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur. Ac quum Cicero quosdam versus audisset, & statim acri iudicio intellexisset non communi vena editos, iussit ab initio totam eclogam recitari: quam quum accuratè pernotasset in fine ait, *Magnæ spes altera Romæ*,quasi ipse linguæ Latinæ spes prima fuisset, & Maro futurus esset secunda. Quæ verba postea Æneidi ipse inseruit.

Georgica,reuerso ab Actiaca victoria Augusto, atque reficiendarum virium causa Atellæ commoranti, per continuum quatriduum legit:suscipiente Mæcenate legendi vicem,quoties interpellaretur ipse vocis offensione. Pronuntiabat autem maxima cum suauitate,& lenocinijs miris. Seneca tradidit, Iulium Montanum poetam solitum dicere, inuolaturum se quædam Virgilio, si & vocem posset,& os, & hypocrisim:eosdem enim versus

sus eo pronuntiante, bene sonare: sine illo inaresc̃ere, quasi mutos. Æneidos, vixdum cœptæ tanta extitit fama, vt Sext. Propertius non dubitarit sic prædicare.

Cedite Romani scriptores, cedite Graij:
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Augustus verò, quum iam forte expeditione Cantabrica abesset, & supplicibus atque minacibus per iocum litteris efflagitaret, vt sibi de Æneide (vt ipsius verba sunt) vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret: negauit se facturũ Virgilius. Cui tamen multo post, perfecta demum materia, tres omnino libros recitauit: secundum videlicet, quartum & sextum. Sed hunc præcipuè ob Octauiam: quæ quum recitationi interesset ad illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris*, defeciſſe fertur: atque ægre refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari iussit. Recitauit, & pluribus, sed neque frequenter, & ferme illa de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur. Erotem librarium, & libertum eius, exacte iam senectutis, tradunt referre solitum, quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complesse, ex tempore: & huic *Misenum Æolidem* adieciſſe, *quo non præstantior alter.* Item huic, *Ære ciere viros*, simili calore iactatum, subiunxisse, *Martemque accendere cantu.* statimque sibi imperasse, vt vtrumque volumini adscriberet. Bucolica Georgicaque emendauit.

Anno verò quinquagesimo secundo, vt vltimã manum Æneidi imponeret, statuit in Græciam

& Aſiam ſecedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare : vt in reliqua vita tantùm philoſophiæ vacaret. Sed quum agreſſus iter, Athenis occurriſſet Auguſto ab Oriente Romam reuertenti, vna cum Cęſare redire ſtatuit. At quum Megaram, vicinum Athenis oppidum, viſendi gratia peteret, languorem nactus eſt : quem non intermiſſa nauigatio auxit, ita vt grauior in dies, tandem Brunduſium aduentarit, vbi diebus paucis obijt, decimo Calendas Octobris, Gneo Plautio, & Quinto Lucretio, coſſ. Qui quum grauari morbo ſeſe ſentiret, ſcrinia ſæpe, & magna inſtantia petiuit, crematurus Æneida : quibus negatis, teſtamento comburi iuſſit, vt rem inemendatam imperfectamque. Verùm Tucca, & Varius monuerunt, id Auguſtum non permiſſurum. Tunc eidem Vario ac ſimul Tuccæ ſcripta ſub ea conditione legauit, nequid adderent quod à ſe editum non eſſet: & verſus etiam imperfectos, ſiqui erant, relinquerent. Voluit etiã eius oſſa Neapolim transferri, vbi diu & ſuauiſſimè vixerat: ac extrema valetudine hoc ipſe ſibi epitaphium fecit diſtichon,

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Translata igitur iuſſu Auguſti eius oſſa) prout ſtatuerat) Neapolim fuere : ſepultaque via Puteolana, intra lapidem ſecundum, ſuoque ſepulchro id diſtichon, quod fecerat, inſcriptum eſt. Heredes fecit ex dimidia parte, Valerium Proculum, fratrem ex altera parte, ex quarta Auguſtum, ex duodeci-

decima Mecenatem, ex reliqua L. Valerium, & Plotium Tuccam, qui eius Æneidem post obitum (prout petiuerat) iussu Cesaris emendauerunt. Nam nullius omnino sententia crematu Æneis digna fuit, de qua re Sulpitij Carthaginiensis extant huiusmodi versus.

Iusserat hac rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quæ canerent ducem:
Tucca vetat, Variusque simul: tu maxime Cæsar
Non sinis, & Latiæ consulis historiæ.
Infelix gemina cecidit propè Pergamos igni,
Et penè est alio Troia cremata rogo.

Extant, & Augusti de ipsa eadem re versus plures, & clarissimi, quorum initium est.

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur musa Maronis?

Et paulò post.

Sed legum seruanda fides: suprema voluntas,
Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quàm tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit vna dies.

Et ea quæ sequuntur.

Nihil igitur autore Augusto Varius addidit, quod, & Maro præceperat: sed summatim emendauit: vt qui versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit. Hos multi mox supplere conati, non perinde valuerunt: ob difficultatem, quòd omnia ferè apud eum hemistichia (præter illud, *Quem tibi tam Troia peperit*) sensum videntur habere per-

perfectum. Nisus grammaticus audisse se à senioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse, & qui tum secundus erat, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium, his demptis versibus.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egressus syluis, vicina coegi
Vt quamuis auido parerent arua colono,
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis.
Arma virumque cano.

Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt: nam nec Homero quidem Prolatis Bucolicis, innominatus quidam rescripsit Antibucolica, duas modò Eclogas, sed insulsissimè quarum prioris initium est.

Tityre si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

Sequentis.

Dic mihi Damœta, cuium pecus? anne Latinum?
Non verum Ægonis: nostri sic rure loquuntur.

Alius recitante eo ex Georgicis *Nudus ara, sere nudus*: subiecit, *habebis frigore febrem*.

Est, & aduersus Æneida liber Carbilij Pictoris, titulo Æneidomastix. M. Vipranius eum à Mæcenate suppositũ, appellabat nouæ repertorem: dicebatque neque tumidum esse, neque exilem, sed communibus verbis opus illud confeciſſe. Herennius vitia eius tantùm contraxit, Perilius Faustinus furta. Sunt, & Q. Octauij Auiti volumina, quibus annotatur, quos & vnde versus transtulerit. Asconius Pedianus, libro quem contra obtrectatores Virgilij scripsit, pauca admo-

modum ei obiecta proponit: & potiſſimum, quod non rectè hiſtoriam contexuit, & quod pleraque ab Homero ſumpſit. Sed hoc crimen ſic defendere aſſuetum ait, cur non illi quoque eadem furta tentarent. Verùm intellecturos, fac lius eſſe Herculi clauam, quam Homero verſum ſurripere. Et tamen deſtinaſſe ſecedere, vt omnia ad ſatietatem maleuolorum decideret. Refert etiam Tedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum, atque eruditorum fuiſſe, & vſq; adeò inuidiæ expertem, vt ſi quid eruditè dictum inſpiceret alterius, non minus gauderet, ac ſi ſuum fuiſſet: neminem vituperare: laudare bonos, ea humanitate eſſe, vt, niſi peruerſus, maximè quiſque illum non diligeret modò, ſed amaret. Nihil proprij habere videbatur. Eius bibliotheca non minus alijs doctis patebat, ac ſibi. Illudque Euripidis antiquum ſibi vſurpabat, , communia eſſe amicorum omnia. Quare coæuos omnes poetas ita adiunctos habuit, vt quum inter ſe plurimùm inuidia arderent, illum vna omnes colerent, Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anſer verò, quoniam Antonij partes ſequutus eſt, illum non obſeruaſſe dicitur. Cornificius ob peruerſam naturam illum non tulit. Gloriæ verò adeò contemptor fuit, vt quum quidam verſus quoſdam vbi adſcriberent, eaque de re docti haberentur, non modò ægrè non ferebat, imò voluptuoſum id ſibi erat. Quum enim diſtichon, quod laudem felicitatemque Auguſti continebat, feciſſet, valuiſque non nominato autore in-

fixiſ-

fixiſſet, id erat huiuſmodi.

Nocte pluit tota redeunt ſpectacula mane:
Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.

Diu quæritans Auguſtus cuiuſnam hi verſus eſſent, eorum authorem non inueniebat. Bathyllus verò, poeta quidam mediocris, tacentibus alijs, ſibi aſcripſit. Quamobrem donatus honoratuſq; à Cęſare fuit. Quod æquo animo non ferens Virgilius, ijſdem valuis affixit quater hoc principum. *Sic vos non nobis*. poſtulabat Auguſtus vt hi verſus complerentur, quod quum fruſtra aliqui conoti eſſent, Virgilius prępoſito diſticho ſic ſubiunxit.

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos nobis nidificatis aues.
Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non nobis fertis aratra boues.

Quo cognito aliquandiu Bathyllus Romę fabula fuit, Maro verò exaltatior. Quum is aliquando Ennium in manu haberet, rogareturque quidnam faceret, reſpondit ſe aurum colligere de ſtercore Ennij. Habet enim poęta ille egregias ſententias ſub verbis non multum ornatis. Interroganti Auguſto, quo pacto feliciter ciuitas gubernaretur, Si prudentiores, inquit, temonem tenuerint, & boni malis præponantur: itaque optimi ſuos habeant honores: nulli tamen aliorum iniuſti quicquam fiat. At Mæcenas, Quid, inquit, Virgili, ſatietatem homini non affert? Omnium rerum, reſpondit, aut ſimilitudo, aut mul-

multitudo ſtomachum facit, præter intelligere. Idem interrogauit quo pacto quis altam felicemque eius fortunam ſeruare poteſt. Cui Maro, Si, quantum honore ac diuitijs alijs præſtantior ſit, tanto liberalitate, & iuſtitia alios ſuperare nitatur. Solitus erat dicere, nullam virtutem commodiorem homini eſſe patientia, ac nullam aſperam adeò eſſe fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincit. Quam ſententiam in quinto Æneidos inſeruit.

Nate Dea, quo fata trahunt retrahũt que ſequamur.
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Quum quidam eius amicus Cornificij in eum maledicta, & inimicitias ſibi narraret, Quam putas, inquit, eſſe huiuſce maleuolentiæ cauſam? Nam neque vnquam Cornificium offendi, & eum amo. En, inquit, Heſiodi ſententiæ non meminiſti, vbi ait, architectum architecto inuidere, & poetam poetæ? De malis, inquit, Græcus ille intellexit, nam boni eruditiores amant. Sed magna cum mea laude, & gloria vindictam in manu habeo. Maiore enim cura virtuti intendam: atq; quo elegantior ego fiam, eo vehementius inuidia rumpetur. Erat Auguſto familiaris Filiſtus quidam, orator, & poeſim mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat; quique omnia dicta reprehendere conabatur: non vt verum dignoſceret, quod Socrates facere conſueuit, ſed vt eruditior videretur. Hic Virgilium, vbicunque conuenire dabatur, maledictis, ſalibuſque vexabat. Quare ille ſæpe aut tacitabundus diſcedebat,

aut

aut ſuffuſus pudore tacebat. Verum quum Auguſto audiente elinguem illum diceret, & cauſam etiam ſuam, ſi linguam haberet, defendere nequiret: Tace, inquit, rabula: nam hæc mea taciturnitas defenſorem cauſarum mearum Auguſtum fecit, & Mæcenatem, & ea tuba, quum volo, loquor, quæ vbique, & diutiſſimè audietur. Tu loquacitate non modò aures hominum, ſed muros rumpis. Auguſtus verò Filiſſum graui vultu increpauit. Tunc Maro, Si tempus Cæſar, inquit, tacendi hic ſciret, rarò loqueretur. Tacendum enim ſemper eſt, niſi quum taciturnitas tibi noceat, aut oratio alijs proſit. Nam qui contendit: & an contentionis finis vtilis ſit, non nouit, ſtultis lum annumerandum ſapientes putant. Poſteaquam Auguſtus ſumma rerum omniũ potitus eſt, venit in mentem, an conduceret tyrannidem omittere, & omnem poteſtatem annuis conſulibus, & Senatui Remp. reddere; in qua re diuerſę ſententiæ conſultos habuit Mæcenatem, & Agrippam. Agrippa enim, vtile ſibi fore, etiam ſi honeſtum non eſſet, relinquere tyrannidem: longa oratione contendit: quod Mæcenas dehortari magnopere conabatur. Quare Auguſti animus, & hinc ferebatur, & illinc. Erant enim diuerſæ ſententię varijs rationibus firmatæ. Rogauit igitur Maronem, an conferat priuato homini ſe in ſua repub. tyrannum facere. Tum ille, Omnibus ferme (inquit) rempub. occupantibus moleſta ipſa tyrannis fuit, & ciuibus, quia neceſſe erat propter odia ſubditorum, aut eorum iniuſtitiam, in-

ma-

magna ſuſpicione, magnoque timore viuere: ſed ſi ciues iuſtum aliquem ſcirent, quem amarent plurimum, ciuitati id vtile eſſet, ſi in eo vno omnis poteſtas foret. Quare ſi iuſtitiam) quod modò facis) omnibus in futurum, nulla hominum facta compoſitione, diſtribues; dominari te & tibi conducet & orbi. Beneuolentiam enim omnium ita habes, vt deum te & adorent, & credant. Eius ſententiam ſequutus Cæſar, principatum tenuit. Audiuit à Silone præcepta Epicuri: cuius doctrinæ ſocium habuit Varium. Quanuis diuerſorum philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe de animo maximè videatur, ipſe tamen fuit Academicus: nam Platonis ſententias omnibus alijs prætulit.

A Maronis tumulo expediti, reuertendum nobis eſt ad viam, vndè fuit ad villam ingreſſus, quæ leniter cliuum aſcendendo in templum, ac cœnobium Diui Antonij Franciſcanorum adducit, ac vltrà proſequendo in mediterraneum Pauſilypi; quod priuſquam luſtremus, notare debemus, quod tam in collis mediterraneo, quàm in littore vaſtarum molium fundamenta, ædificiaque vetuſtiſſima adhuc conſtantia cernuntur, tantę ſoliditatis, vt ſcopuli potius, quam iactæ hominum induſtria pilæ exiſtimentur: neque mirum, cum nobis ex Plinio conſtet, protractum amœniſſimi collis littus multis, & anguſtis finibus marinos intercludens fluctus, quomdam ad piſcium viuaria fuiſſe deſtinatum, quibus ſuperbis ſuperſtructis ædificijs pro ſummis delitijs Romani Princi-

pes

pes vtebantur ; ſic enim Plinius.

Æui piſcium memorandum nuper exemplum accepimus. Pauſilypum villa eſt Campaniæ haud procul Neapoli. In ea in Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio coniectum piſcem, ſexageſimum poſt annum expiraſſe ſcribit Anneus Seneca.

Potiebatur tunc villa Pauſilypi hic Vedius Pollio, vir animo ferox, & genio atrox, cuius feritatem adauxerat potius, quam lenierat loci amœnitas ; quippè magnum murenarum numerum hominum carnibus in viuarij aſſueſcerat ; leui enim cauſa ſeruos in piſcinas præcipites dabat, qui vix merſi à murenis vorabantur, tantaque erat Pollionis immanitas ; vt in eo patrando flagitio, neque ipſiuſmet Auguſti præſentiæ pepercerit, cœnante enim apud eum Cæſare, puer, qui menſæ deſeruiebat fortuitò chryſtalli poculum fregerat ; & neque ius hoſpitij, neque Auguſti auctoritas potuere, nè infelicis piucernæ ad murenas coniecti exitio, fœdarentur cœnę : eſt rei apud Dionem memoria.

A Vedio villæ Pauſilypi hęres fuit inſtitutus Auguſtus, qui Vedij inhumanitatem ſtomachatus, ſceleratas diruit ædes, quodque in eis pretioſum erat, Romam, vt Iuliæ portico in ornatum ſubſtitueretur, tranſmiſit. In noſtri Pauſilypi mediteraneo, vbi iu Auſtrum inclinat, paſſim antiquorum ædificiorum veſtigia calcantur, atque in edito ingens, & erectum adhuc eminet templum, quondam Fortunæ dicatum, in cuius penetralibus fuit olim marmorea reperta tabula, vt apud lege-

alcum habętur, in qua, quę ſequuntur litteræ habentur.

Veſorius Zeloius poſt aſſignationem ædis Fortunæ, ſignũ Pantheõ ſua pecunia. D, D.

Veneratur nunc ibi templum veriori cultu, cui titulus *S. Maria à Fortuna*, hinc quoquò per collem dirigantur greſſus antiquorum ædificiorum, premuntur ruinæ incerti nominis, ac dubiæ famę. Porrò ab Auguſti temporibus, nil deindè quod ſit memoriæ dignum, de Pauſilypo apud veteres Scriptores notatum reperio, præter ea, quæ de Euplææ Veneris, ſiue Doritidis fano à poetis accipimus, de quo paulò poſt ſuo loco, dum Pauſilypi littoralem percurremus limbum.

Prætereà, quæ integra nunc ibi conſpiciuntur ædificia, vix poſtremorum ſeculorum vnius, aut alterius, antiquitatem ſapiunt. Mediterraneum hoc Pauſilypi ſolum, vt ſuprà annuimus, fertiliſſimum eſt, præitque abundantia, excellentiaque vinorum, fructuum, & ſegetum, non ſolùm quaſuis eiuſdem Campaniæ: ſed totius Europæ oras; quod nè patrij loci amore protuliſſe *videar*, propterea que commentitium; ex penitiſſimis huc Sarmatis magni viri Staniſlai Reſcij, ad Staniſlaum Socolouium Poloniæ Regis theologum, ſcribentis, perquam veriſſimam adducam huius loci hyperbolen. *Ep. 54.*

Hinc imminet, quem æque, vt Veſeuum ad te ſcribens proſpicio, totus fructificus, totus ambroſius,

vndiſque cinctus piſcoſis, cureque meroriſque expers Pauſilypus, cuius ipſe quoque.

Iuppiter ambroſia ſatur eſt, & nectare viuit.

Ficetis, vinetis, myrtetis, oliuetis, roſetis, prunetis, cæpetis omnium arborum ordinibus, & omnium generum apyrinis fructibus, atque adeo Mareotidibus vitibus, biferiſque ficubus, ita conſitus, atque diſtinctus, vt quocunque veſtigium poſueris, quo deorum, hominumque cœnas inſtruat, ſub ipſis illico naſci videas veſtigijs. Et quod à me miraculi loco ducitur; cum totus ex omni parte collis videatur ſaxeus, ita tamen eſt naturæ benignitate contemperatus, vt & aratro proſcindatur, ad ſementem, & vinitori cedat ad vitem, & vbique ſit herbidus ad paſcum, & totus tamen ſit ſolidus ad quoduis ædificium. Crede mihi modo non ipſa eius arantur ſeminanturque littora. Hic illa producit mala Punica, mala Perſica, mala cotonea, mala granata, aurea de omni muro, deque omni arbore mille pendentia, mala ſtrutea, ſcantiana, Quiriniana, cytrhea, muſtea, Mariana, verriaba, ſcardiana, pannucea, Punica, rubra, proſciua, ſyluestria. Hic pyra Tiberiana, cucurbitina, mammoſa, educa, Pergoma, Chriſtiana anciana, mileſia, calculoſa, Cruſtumina, Græcula, laurea, Neuiana Tulliana. Hic pruna, cerea, pulla, peregrina, frateſca, quo & ſi nouo, tamen vti verbo non dubitabo; quia verbis præſentibus, præteritis vti moribus iubemur. Hic ceraſa, duracina, Siciliana, Campanica, laurea. Hic ficus, biferas, Auguſtas, atras, pullas, varioas, Chalcidicas, Chias, Marſicas,

ſicas, Rhodias, Numidicas, Pompeianas, ſerotinas, Herculaneas. Hic nuces pineas, caſtaneas, auellanas, iuglandes, Græcas, Tarentinas, Ponticas, moluſcas. Omitto multa iſtiuſmodi ſaccaro macerata, illos cedrides, roſaceoſque ſuccos, acerbiſſimarum febrium dulciſſima leuamenta. Omitto mille alias gulæ, palatique illecebras, echinos, mullos, murices, oſtreas, murenas, ſcaros ab Octauio in mari Campano; tanquam in terra fruges ſeminatos.

Neque noſtris his temporibus, vnum dominum, ſingularemque cultorem Pauſilypum agnoſcit: in innumerabiles enim ferè villas diuiſum, celebre eſt Neapolitanorum ſolatium; diſperſas ſecundum villarum multitudines habet ædes; verùm in medio collis frequentius ædificium coloniam quaſi efformat, quę à Parochiali Eccleſia Sancti Strati ibi venerata nomen deſumpſit. Collis deindè Orientalem limbum, ſiue eius littoralem partem, cuius maris vicinitate amœnitas augetur, ſuperbarum ędium frequentia exornat, ac vt paſſim breui ſinu littus curuatur, paſſim quoque capaciſſimas domus oſtentat, quas vel circumalluit vnda, vel eas ſubtercurrens, occultum matronis præſtat, pura, lauacrum; electiſſimorum fertilis eſt piſcium ſaporis gulę pergrati: eſt notatu prætereà dignum, Murenas, quas ingentis magnitudinis Pauſilypi mare producit, ſpinis, quibus naturaliter carnem habent interaſperſam, omnimodè carere. Neque ſcopuli Pauſilypi ſteriles; ſeruant enim inexhauſtum oſtrearum, echinorum,

omnrumque cruſtatorum theſaurum.

Diſpoſitæ, vt diximus, ſunt per littoris longitudinem milliarium fortè trium ędes, ac villæ, quæ quamuis orientis æſtiui Solis radijos excipiant, qui cœli ſerenitatem, ętheriſque puritatem producunt potius, quam caloris intenſionem; Sole tamen cæli culmen aſcendente, ijs amplius non vrgentur: quippè Pauſilypum in brachij figura Orientem verſus ſeipſum curuans, prænotata ædificia amplectitur; ac proprię rupis vmbra à meridianis radijs tuetur, dulcique Zephyro, qui per eius vallium decliuitatem aſſiduo, placidèque ſpirat, adeò incolas, recreat, vt intolerabilibus Sirij, non ſolùm non torreantur adoribus; ſed perpetui Veris temperie fruantur. Tot ergo delitijs molle Pauſilypum, mollius annua Neapolitanorum frequentia efficitur; æſtiuo enim imminente ſolſtitio, veluti Pauſilypo immolaturi, nobilium ordines res neceſſarias præparant; enimuerò lintres, ſcalmoſque, quos *felluche* indigetant, varijs ſimulacris confingunt; remiges geniali colore veſtibus induunt; citharœdos, eunucoſque canoris modulatibus exercent; pro commeſſationibus peregrinorum, lectorumque ciborum copias procurant, atque pretioſa ſuppellectile vacuas exornant littoris ędes, continuoq; indè remigio euntes, redeunteque omnibus ſenſuum illecebris indulgentes noctu, diùq; optatum frequentant Pauſilypum; ibique gula, venere, aleis, ſpectaculis, remigibus ſumptuoſa æmulatione licet opulenta inaniuntur ędes, ędesq; alieno grauantur. Sancitum

præ-

præterea eſt conſuetudinis lege, vt feſtiuis ſingulis diebus, Regni princeps aurata lintre, quam *gondola* vocant, optimatum comitatu, ac magno ſequentium ſcalmorum numero, annuis his Pauſilypi aſſiſtat delitijs; horis enim, quibus Pauſilypum Solem ad Occaſum vergentem omnimodè occupat, vrbis matronę rhedis vectæ pompa, & ornatu ſuperbæ littore conſiſtunt, ac palàm ſumptuoſiſſimis edulijs, gelidis aquis, Turcica Sorbet, Indicaque Cocholata torpidas irrirant gulas; interim Prorex pigro remigio, vltrà ducentis ſequentibus nobilium ſcalmis, permeat vicini littoris mare; atque cœnantes matronas inclinata fronte ſalutat. His ad æquinoctium ferè vſque Septembris Neapolitanorum animi adeò irretiuntur illecebris, vt effœminati egregiam alioquin ſuam indolem corrumpant. Octaua deindè Septembris Deiparę Virginis natiuitati dicata dies Pauſilypum ſoluit: quippè diuę Mariæ *di Piedigrotta* in extremo littoris angulo, ſolennis illa celebratur feſtiuitas, quò pomeridianis excurſibus Prorex accedit laſciuienti, multaque cum equitatus manu, quorum pompæ innumerabili ſumptuoſiorum, venuſtiorumque rhedarum numero per longum *Chiaię* littus diſpoſito, vniuerſa ciuitas ſpectatrix aſſiſtit, è feſtiuitate tandem ad vrbem redeuntes, ad ſubſequentem vſque meſſem vltimum dicunt vale Pauſilypo.

Verum cum ſępe accidat, quamplures ſcalmis per mare ire Putelos, pergratum fortè erit externis hic ſubdere littoralem Pauſilypi limbum, quò

dum per *Chiaiæ* arenam peruentum eſt, ædes *Vitalis* primò ſeſe offerunt, ſub via, quę per cliuum in Pauſilypi iugum aſcendit, poſitæ; hiſce ad triginta paſſus paruuli maris ſinus, domus ſuccedunt *Coppulæ*, in quibus è ſcopulo propè marinas, perennes, ac dulces aquæ affluentiſſimè manant: ab his ad item triginta paſſus Mergellinæ ſcopulum diuæ Mariæ partus cum templo, cœnobioque Seruitarum, & Principis *Collis Anchiſæ* domo, occurrunt, ſed huiuſce loci occaſione non pigebit à Pauſilypi illecebris ad ea tranſire, quę ibi ſunt virtutis ſpecimina. Piſces in hoc littore, quaſi ludendo, nunc ex vndis emergentes, nunc ſe ſub fluctibus mergentes Mergellinę etymologiam dedere; tantæ eſt amœnitatis locus; vt non ſecus ſit Mergellina in Pauſilypo, ac in Campania Pauſilypum, villa quondam fuit celeberrimi viri Iacobi Sannazarij, quam celeberrimam fecit tanti viri in ea commoratio, ac poſt mortem eius, ſepulchrum, vnde præbuit Ludouico Arioſto illa carmina ſcribendi occaſionem.

E l'huom, che di veder tanto diſio
Giacomo Sannazar, ch'alle Camene.
Laſciar fà i monti, & habitar l'arene.

Quorum ſenſum perquam lepide Latino hoc epigrammate expreſſit Bernardinus quoque Rota. *lib. epig.*

Quicunque Aonio perquiris vertice Muſas,
Quære alio: hinc abeunt, hoſpitium eſt aliud.
Mergellina tenet felici littore: tu ſi
Quæris eas, montem deſere, litus adi.

Et paulò poſt ſubiunxit.

Iam

Iam vocat me Pauſilypus, canenti ibidem.
Plaudit, & clari tumulus Maronis
Me vocat toto veneranda Mergil-
lina profundo.

Decere ſanè exiſtimaui, vt, ſi celebris eſt propter Sannazarium Mergellina, ſit quoque propter Mergellinam hic opportunum, virtutum tradere.

Iacobi Sannazarij Elogium.

AB extremis Hiſpaniæ oris illuſtris proſapiæ viri ad Inſubres quondam appulere, vbi in Lomellina, Oppido nomine San. Nazar inter Padum, & Ticinum poſito, potiti, relicto primi generis cognomento, ab ipſius nomine Sannazariorum familiam deduxere: hi cum Caroli Tertij Regis, qui Neapolitanum Regnum ſibi debitum, ad recuperandum, ſequerentur partes, Neapolim contenderunt, eoque belli curſu ea fuit erga Regem eorum virtus, ac fides, vt Sinueſſa, Maſſicis montibus ad Vulturnum vſque, aliiſque oppidis Regis munificentia donarentur. Ex hac illuſtri familia Iacobus Sannazarius in lucem inter viuentes prodijt anno 1471. tempore, quo ſpoliata à Ioanna Regina bonis à Carolo receptis, Sannazariorum domus inter anguſtias decus ſeruabat uitum: At Iacobus heroicam ſortitus indolem in literaria paleſtra impigram iuuentutem exercuit, tantùmque in ea profecit, vt magnus Ioannes Iouianus Pontanus inter viros, qui ea ætate Muſas colebant, boniſque artibus vacabant, in Iacobum

primas, non ſolùm contulerit, ſed eius familiaritate, ac neceſſitudine potitus, voluit, vt propter eius ingenij felicitatem, ac promptitudinem (Romanorum Academicorum more, in quibus ſumma ſapientia eluceſcebat) nomen cognomentumque in Actium Sincerum commutaret. Mortuo deinde Pontano Friderici Regis à Secretis Conſiliario, defuncti amici munus Actius ſubijt. Carolo deinde Octauo Galliarum Rege Neapolitanum Regnum inuadente, exul, profuguſque inde abijt Fridericus, cuius fortunam conſtanti animo, intemerataque fide ſequutus Sannazarius, eſt laudis non parum adeptus; pacatis tandem rebus Neapolim repetijt, ſua ducens hilarem in Mergellina vitam, corporis cultui, & amoribus induigens honeſtis. Tandem Carolo Quinto imperante Filiberti Principis Arauſinorum Cęſaris in Italia plenipotentiarij iracundia perterritus. Iacobus Romam conceſſit. Interim Filibertus occaſione ſuſcepta Sannazarij villam Mergellinam, in Pauſilypo poſitam, quam ob loci amœnitatem ſummopere excoluit, diruit, atque vaſtauit: Actius, audito facinore, rem adeò ægrè, moleſtèque tulit, vt lethali morbo correptus, profunda mœſtitia ſemper obmutuiſſe ferant, morbo ingraueſcente proximus erat vltimo fato, cùm Principem Filibertum ſupremum obijſſe diem illi renunciatur, ad nuncium inſtulit Sincerus è pulunaribus caput, ac vehementi perfuſus gaudio exclamauit, *libenter nunc te mortem exopto, quia me ab iniurijs vendicaſti*, alteroque die mœſtitia in lætitiam con-

conuerſa Romæ anno 1633. religioſiſſimè exceſſit. Vir fuit in omni literarum genere peritus, ſolutam orationem, non minus quam carmen accuratiſſimè, feliciterque conſcripſit, Latino idiomate non aliter, quam Etruſco. Heroico carmine graui, elaborataque textura de Partu Virginis poema, de morte Chriſti quærimoniam, tres elegias, & epigrammata, compoſuit, odas, & Arcadiam. lepida, placidaque Etruſca cecinit muſa, ac vt in ſuis expiandis operibus oculatiſsimus, ita acerrimus fuit aliorum carminum cenſor, ac propterea felle non caruiſſe tradunt. Teſtamento cauit, vt eius oſſa Roma in ſuam Mergellinam tranſlata in Eccleſia, quam ſibi viuens conſtruxerat, conderentur adiectis carminibus.

Actius hic ſitus eſt, cineres gaudete ſepulti,
Nam vaga poſt obitum vmbra dolore caret.

Mergellinam tranſlata tanti viri oſſa marmoreum meruere *ſarcophagum*. varijs ſimulcaris inſculptis tantę excellentiæ, vt in tota Europa præſtantius adinueniri ambigatur, ſitum illud eſt ad parietem poſt aram maiorem eiuſdem Eccleſiæ diuæ Mariæ partus, ac in limbo ſepulchri celeberrimi Petri Cardinalis Bembi ſequentia carmina inciſa leguntur.

Da ſacro cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus muſa, proximus, vt tumulo.

Vixit annos LXII. obijt, anno Domini MDXXXIII.

Nec voluimus non ſubdere Cœleſtini Guicciardini Epigramma:

Ad

Ad Sepulchrum Sannazarij.

in Mer. Camp.
Actius hoc recubat nitido sub marmore vates,
Cui radians Phœbus laurea serta dedit.
Hic vernet tellus, flores, tu funde, viator,
Vatemque irroret docta Camæna suum.
Huc riui, huc fontes tenui properate susurro,
Vt Vati obueniant somnia grata meo.
Æquora, bacchantes vltro compescite fluctus,
Vt littus dulci murmure plaudat Io.
Æolus, obscurum ventos impingat in antrum,
Ne Sacros cineres dissipet aura furens:
Sique Veseuo tuis gaudes splendescere flammis,
Sis Vati æternum lampas honora meo.

de anti. Puteol. Qui plura de Actij Sinceri vita, de morte, de eius celebri sepulcro, deq; ipsius villa Mergellina desiderat, eruditum Iulium Cæsarem Capaccium consulat.

MErgellinæ, vt Pausilypi littoralem percurramus limbum, succedunt continuo ædes, quę *della Ducheſſa di Cantalupo* dicuntur; post has, interuallo passuum 80. magnificæ occurrunt, quæ *del Principe della Roccella* indigetantur; deindè traiecto maris sinu, pass. 180. eæ adueniunt, quæ Regia ornatæ magnificentia sunt *del Principe di Caserta*; interuallo deindè passuum 80. eæ superbissimæ veniunt in prospectum, quas *del Duca* appellitant *di Medina*, hic quondam Neapolis Prorex, tantę molis ædificium hoc in loco erigendum curauit, vt nostra hac ætate, inter Vrbis magnificentias, numeretur amplissima hæc ædium structes. sinu deindè maris interposito, passuum

ferè

ferè 150. ſuperbæ adhuc ſtructuræ eæ ſunt erectę, quæ *del Principe di Colobrano* dicuntur, quibus, alio ſinu interpoſito, paſſuum ferè 100. eæ ſuccedunt ædes, quas *dei Duca di Nocera* appellitant; poſt quas, & ſimilem maris ſinum, eæ occurrunt, quæ dicuntur *delli Spinelli*. Hactenus ędes retulimus tantæ amœnitatis, magnificentię, & delitiarum, vt earum quamlibet, ab Hiſpania aduenientibus in regnum Proregibus, multoties, veluti in regium hoſpitium deſtinauerint; nunc ędiculas adnectemus, ad vſum, commoditatemque potiùs, quam ad magnificentiam poſitas: quippè verſus collis extremum collocatas, & ab vrbe remotas, ijs nobilium ordines non adeò vtuntur, vt ſuprà notatis: eas itaque ædes, quas diximus *delli Spinelli*, poſt ſpatium paſſuum 120. domus ſubſequitur *di D. Geronima Colonna* ac poſt paſſus 50. alia poſita eſt, quæ dicitur *di Tramontano*; poſt quam, interiecto freto paſſuum 80. imperfectum ſuccedit ædificium, quod dicitur *la caſa di Martino*; huic, maris intercurrente prius ſinu paſſuum 70. aliud ſuccedit, quod vocant *lo Ritorno*; aliumque poſt ſinum, paſſuum ferè 300 domus occurrunt, quas plurimi propter aurę lenitudinem faciunt, eaſque indigitant *le caſe di Paſſaro*; à quibus interuallo emenſo, paſſuum 150. templum *di S. Maria della gratia* cum Cœnobio, quod Æſtate à religioſis viris ordinis Diui Hieronymi frequentantur, ſunt erecta; hinc recta incedenti linea per ſcopulum, ſpatio paſſuum 150. ædes erectę occurrunt *di Mazzella*; quibus paulò poſt

in

in montis angulo, vbi dicitur *la punta di Posilipo*, aliæ succedunt domus, quas appellitant *del Duca di Caiuano*. Ab hoc montis angulo, non amplius in Austrum Pausilypi littus protenditur; sed Occidentem versus reclinat, ac post spatium passuum 220. eminentes in cliuo visuntur ædes *del Marcheſe della Terza*, atque hinc emenso interuallo passuum ferè 250. domus occurrit, in littore posita, quam subter, per incisum scopulum, totam permeat vnda, eam tamen non adeò frequentant licet amœnissimam, ob horrenda spectra, quæ aliquando quorundam animos perculisse ferunt, ac propterea vulgò dicitur *la Casa delli Spiriti*; cui ædificio post interuallum passuum ferè 100. succedit *la Caiola*, Siue vndique rimosum Euplææ, vel Doritidis Veneris templum, quam falsè insulam pronunciauit Cluuerius: fuit quidem geniale Græcis patrio, ac superstitioso more, in promontoriorum extremis votiuum nautis pro felici reditu fanum excitare; eius hactenus vestigia apparent, & quasi theatrum constituentia, vasta conspiciuntur fundamenta, quæ falsè hodie à pretereuntibus nautis pro *la Scuola di Virgilio* ostenduntur. Celebre fuit apud antiquos, & templum, & locus, vnde Statius.

Syluar. lib. 2.

Inde vagis omen felix Euplæa carinis.

ibidem. lib. 3.

Et alibi.

Et placidus Limon, numenque Euplæa carinis.

Neque extincta apud recentiores nominis memoria; habemus enim apud Sannazarium nostrum hęc carmina.

Pau-

Pauſilypus totidem vitreis Euplæa ſub vndis.
Seruat adhuc plures Neſis mihi ſeruat echinos.

Et Io. Iouianus Pontanus, ficta, Euplææ in puellam, metamorphoſi, dulci hoc carmine luſit. *tumul. lib. 2.*

Hic Euplea vagor tumulo ſine, me maris vnda
Eïjcit, & ſedes hei mihi terra negat.
Nunc miſera affligor ſcopulis, nunc obruor alga,
Nec recipit tellus, nec mare, nec ſcopuli.
Aere iactamur, rapidis iactamur ab auris;
Nec mihi ſunt ſedes, nec loca certa mihi.
Nulla quies vmbræ miſeræ, nulluſque receptus,
Non nebulæ, non me nubila nigra tegunt.
Iactor in incertum, feſſis Euplea carinis
Exploſa, & nautis, hei mihi, quid reliquum?
Sit modus ò Euplea, tuus te portus, & ipſum
Accipiet littus, terraque amica tibi.
Et dabit inferias coniux, cineremque piabit,
Et cineri, & tumulo debita perſoluet.
Interea tibi dant lacrimas Eulpea carinæ,
Littoraque ipſa ſuis mœſta ſonant numeris,
Flebileque ad tumulum vates canit, & tibi carmen
Dedicat, ò felix vmbra, & amica vale.

Inter hoc Euplææ templum, & Neſidem, quæ, dum ab Euplææ cauernulis eximus, venit in proſpectum; in ſinum paſſuum ferè 200. curuatur Pauſilypum, tantaque repenti, hirtaque altitudine ab vndis ſe exerit, vt veluti ſuperbire fronte, cœloque minitari credatur: luxuriauit ſanè ſemper ſumma in hoc monte ſagacitate natura, vt vndique redderet illum beatum: quippè ſublimis

huius

huius arginis Auſtralibus, Occidentalibuſq; venſontibuſque Phlegrę Cumęę fumis, adcò ſitus opportunitate reſiſtit, vt Orientalis ſui limbi incolę placido, ſalubrique ęthere perennè recreentur: meminit huius loci, quem falsò inſulam Cluuerius pronunciat, Statius Papinius ſub nomine *Limonis* illis verſibus,

Syluaque, quę fixam pelago Neſida coronat,
Et placidus Limon, numenque Euplæa carinis.

Et cum idem locus ſit Surrento oppoſitus, illumque recta linea reſpiciat, eidem fuit Papinio, occaſio alterius carminis, Pollij Surrentum extollenti.

Syl. lib. 3. carm. 2. *Et Domino contra recubante, proculque,*
Surrentina tuus ſpectat prętoria Limon.

Eſt apud incolas nunc loci nomen *Coruoglio*, cui paga ſuccedit, vbi Balneola ſunt, vulgò *li Bagnuoli*, qua in parte vſque ad exitum cryptę horridum, accliue, & repens eſt Pauſilypi tergum; ſed ne vltrà proſequamur nos vocat pulcherrima Neſis, ad quam antequam accedamus, vt (ſicut fertilitas) habeant quoque Campani Pauſilypi ſupra enarrata ſolatia Poloniense elogium memorati Reſcij, ad eundem Socolouium ſcribentis de re, ſubdimus verba.

In hac tamen (loquitur de Neapoli) *omnium rerum abundantia mirum eſt, quàm bene moratos veſtires gerant iſtius cęli populi: Sæpius hic Nephalia, quam Dionyſia celebrantur: Edunt, vt viuant, non viuunt, vt edant; niſi, quod ardente quandoq; ſole, vrenteque Leone, ad piſcoſos Pauſilypi radices, ſiue*

ſiue Rege conuiuij ad talorum iactum creato, ſiue cœnę, triclinÿque magiſtris, ſiue ſtructoribus, potandique Modiperatoribus non curantes, vt Iuuenalis loquitur.

Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.

Sub veſperam littoratur: non vndarum, & calculorum cauſa, vt Plutarcus habet, non vt legumina, vel capparim obſonentur; aut fluctus numerent; ſed, quod recentium piſcium affluentia menſa redundet littorea; ſub ipſa quippè ſedecula modo non dolabra piſces capiuntur, qui in conuiuæ manu mortui, poſtquàm oculos natando, & palpitando ſatiauerint, è mari transferuntur in menſam Vinum è colo Geticis pleno pruinis petitur. Lacrymaque ſepultis parentatur, non Saturni, quam eſſe Poetę mare volunt; ſed Veſuuÿ, cuius liquor Entheata facit pectora vatum; quemque in partibus ſuis Batauus ille non planxiſſe planxit. Ibi Palamedes cauſam dicere cogitur, cur aqua vinum vitiare docuerit. Ibi in controuerſiam vocatur Archiſpone-ſtandum ſit, qui ἴσων ἴσα par pari lympham meri miſcuit. An Alexidi, qui quatuor vini partibus vnam addidit aquæ. An Diocli, qui quatuor vini partibus duas aquæ. An Nicocharidi, qui duas aquæ quinque meri partibus. An Anacreonti, qui quinque meri ciathis duos addidit aquæ. Menandri certè ſententia omnium calculis reprobatur, qui tribus aquæ partibus vnam iubet addere vini Τριτοπατορείαν porrò idem eſſe ſtatuerit, ac à Baccho Liberoque ὑπερδεκάτην ἀξιναλλαξ faceſſunt. Ibi ſextantem vnus, triuncem alius, poſtulat deuncem.

cem. Non deerit, qui & hæminam plenoſque petat puri meri cantaros: Sunt, qui iſtis potandi modiperatoribus, tot ſumenda pocula putant, quot digiti ſibi ſunt in manu: alij quot amici, alij quot Principis ſui nomen litteras in ſe continet. Alij, quot cuique chariſſimo vitæ precantur annos. Non deſunt, qui piaculum putant, hauſtus numeratos ſumere. Sitim ſibi faciunt occinentes. Bene nos, bene vos, bene me, bene te, bene valere, iubemus, amicos. Sæpe, & Pſallocitharistæ cinædicas ſuas tremulo ad lituus, reddunt cantiones gutture, Vina pro veteri, nouas.

THERMOLOGIAE ARAGONIÆ

NESIS.

NESIS, atque Nesium Latinis, incolis vernaculo idiomate *Nisida*, insula est littori *delli Bagnuoli*, inter Pausilypi radices & Olibani montis, posito, oppositaq; mari, quo placidissimè alluitur, à continenti dispescitur per passus ferè mille; minaci præru ptæque Pausilypi fronti *di Coruoglio* proximior, indèque quasi diuulsam crederes, ob interiacentes editi, breuisque scopuli superstites reliquias, qui *Copino* vulgò dicitur, silentio haud pretereundus, ob id, quod in eo hominum industria finxit; locus erat commessationibus destinatus; propterea *Caupona* quondam dictus, vndè *Copino*. Scopulus longitudine, qua *Nesidem* versus extenditur, ferro pertusus conspicitur, repræsentatque

fornicé longitudinis paſſuũ 50. latitudinis trium, profunditatis duorum, cui ab vno, alteroque extremo expeditus eſt pelago aditus, & ex vno, alteroque latere per exciſa foramina lumini ingreſſus; parua carina hinc indè ſubuehi quiſque poteſt. Luclj Luculli creditur opus; ex eo, quia illi genìale erat, piſcium viuarijs deſtinatum; nunc ab Ciuitate Neapolitana, conſtructo ſuper ſcopulum ædificio, purgandis mercibus hoc ad mare appellentibus, contagio ſuſpectis, opportuno; communiter dicitur *lo Pirgaturo*. Huic ſcopulo profundum pelagus, fabrefactis pilis ſub vnda latentibus, interruptum, ſuccedit per paſſus 300. poſt quod celeberrima *Neſis* emergit ingenti, prẽruptaque vndique altitudine, niſi quantùm hominum induſtria exciſa rupe ea parte, qua Pauſilypum reſpicit, humilior eius factus eſt cliuus, ædificiorum Colonia nunc exornatus, inſulę ambitus perfectum ferè circulum repreſentat, tantę elegantię; vt non facilè ab ea proſpicienda oculos auerteres; eius rotunditatis amplitudinem paſſuum ferè bis mille complectitur; rupe Orientali, ſicut, & Occidentali paſſuum 30. è mare emergit, tantumq; ſub ipſo mergitur; parte Septentrionali, neque tam prẽceps, neq; editus cliuus; ſed naturæ, & arte remiſſior: breuem hinc habet portum, recenter fabrefactum, interiectumque inter ipſum, & littus, mare, ingentibus pilis ſub vnda gliſcentibus, magni alicuius quondam tentati operis fundamentis, interruptum oſtendit; vbi verò Auſtrum reſpicit intrà inſulæ ambitum ada-

adapertam voraginem intueris, in quam per angustas fauces expeditus est pelago ingressus; tutum placidumque exacti circuli figuræ efficit portum, diametri passuum ferè quinquaginta, primo intuitu illum artis crederes opus; at semicircularis cliuus, mare propè angustior, ac dum in insulæ culmen progreditur congruenter amplior; ita, vt in diametrum passuum ferè bis centum dilatetur, incendij potius subterranei ob impetum rem cueniſſe, conijciendum suadet, quod annuere videtur Lucanus. *lib. 5.*

tali spiramine Neſis
Emittit Stygium nebuloſis aera ſaxis,
Antraque lethiferi rabiem Typhonis anhelant;
Inde labant populi, &c.

Confirmatque Statius.

inde malignum . . *Syl. lib.*
Aera reſpirat pelago circumflua Neſſis. . *2. Car.*

Quomodocumq; se res habuerit; sufficiat nunc, insulam hac voragine pretereuntibus tutum perfugium præbere carinis, insignituſque est nomine locus *di Porto Pauone*; fortè, quia expansæ pauonis caudæ figuram repræsentat.

Fuere, qui crediderunt, re exactè non explorata, hanc Nesidis insulam Pausilypi continenti fuisse quondam continuam, ac motu terræ ignium eruptione, hominum industria, vel maris æstu à promontorio disiunctam, disiectamque nunc vndis circumcingi, quod situs dispositione, *Purgaturi* interiectione, distantieque breuitate verisimile existimari facilè poterat, roborata fide Strabo-

nis, & Plinij traditione, qui Prochytam, Pythecusas, Siciliam, Cyprum, Euboeam, Macriam, Belbicum, Leucosiam à copulata cum ipsis continenti diuulsas perhibent, deque Nesíde singulariter hęc Filomatus habet.

in itine. *Post hanc asparagis plenam Nesida videmus*
Pars hæc Pausilypi, quondam maris insula nunc est;
Multus ibi seruat furtiua Cuniculus antra,
Antra Typhoneos quondam spirantia fumos,
Et circa Eumenidum nebuloso tristia luco.

Hinc fortè occasio exorta poetis, nouas texendi fabellas; Nesidem enim nympham fuisse suadent, quam Pausilypus agrestis vinitor medullitus exarsisset; vnde Iacobus Sannazarius sub Actij Sinceri nomine de ea sic cecinit.

Te quoque formosæ captum Nesidis amore
Pausilypo irato compellat ab æquore quæstu.

Et alibi.

Totidem vitreis Euplæa sub vndis
Seruat adhuc plures, Nesis mihi seruat Echinos.

Idemque poeta alibi musa sic cecinit noua.

Dimmi Nisida mia, cosi non sentano
Le riue tue giamai crucciata Dorida,
Ne Pausilypo in te venir consentano.
Non ti vidd'io poc'anzi herborsa, e florida,
Habitata da lepri, e da cuniculi?
Non ti vegg'hor più ch'altra incolta, & horrida.
Non veggio i tuoi recessi, e i diuerticuli
Tutti cangiati, e freddi quelli scopuli,
Doue tempraua Amor suoi ardenti spiculi?

Actijq; Amici genio lusit sic quoq; Pontanus.

Illum

Illum Niſa tenet deſerti ad littoris algam
Nigra genu, croceiſque genis, & lumine glauco,
Subdimus, & alius ebrium carmen.
Hò del Colle, ch'amò Niſida, e l'Aura
Izuccari fumanti, e l'ambre altiere,
Di poſſente Falerno armo il bicchiere,
E d'Iſchia il moſto il calice m'inaura.

Prolixius tamen fabulam expreſſit ſuauiſſimo carmine, omnique lepore referto Berardinus Rota; dulciſſimus iſte Poeta cum Pauſilypi montis vinum, cui *lacrima* vulgò nomen eſt, ad Rodulphum Pium Cardinalem, Romæ degentem mitteret, quam hic Subdo Elegiam, Comitem addidit.

O quem Roma vocat meritò decus Vrbis, & Orbis *lib. 3. e. leg. 10.*
Quem vocat humani delitias generis;
Cui iam templa, aras ponit quo Principe magna.
Concipit, & ſupplex vota, preceſque parat;
En tibi Pauſilypi lacrymæ, quas fudit ad vndas,
Dum fugiens Neſis vertitur in ſcopulum.
Tu cape (parua licet) magni ſunt pignora voti,
Siue leges lacrymas, ſiue bibes lacrymas.
Forte ſub vmbroſa cantabat vinitor vlmo
Pauſilypus: domino ſpem dabat vua ſuo.
Iamque arbuſta, lacus, vtres, & prela ſinebant
Calcari immundo feruida muſta pede.
Neſis Nympha olim felicis gloria collis
Optatus iuueni, dulcis, & ardor erat.
Vinitor hæc blandis iactabat verba querelis,
Quę poterant quercus flectere, ſaxa, feras.
Huc propera, ò Neſis, Neſis dulciſſima cura,

En volat ad te animus, deserit en me animus.
Est procul à nobis Campana licentia fandi,
Indigna obscœnis casta puella iocis.
Quò vocat Autumnus, quo te vocat ipse Lyæus
Nympha veni: non sum, qui tibi damna parem.
Dispeream, caris oculis ni carior ipsa es,
Ni matura vua dulcior ipsa mihi es.
Ecquis tam sæuus, placidam, qui turbet amicam?
Ecquis erit, qui te lædere vita velit?
Sordidus haud ego sum, media, sed natus in vrbe,
Qui videar, pes est testis, ipsa manus.
Rustica non facies, non barba est vuida musto,
Non mihi pes est, non fece peruncta manus.
Hic tibi frondentes texunt vmbracula vites,
Hic vlmus virides pandit opaca comas,
Hic mulcere potes iucundo lumina somno,
Lumina, quæ memet surripuere mihi.
At vereor, somnus ne, dum blanditur ocellis,
Detineat dein captus amore tuo.
Ipse, & odoratis componam serta racemis,
Qualia non Indo Bacchus ab orbe tulit:
Queis vitare æstus poteris, queis cingere crines,
Ah crines vitæ retia Cara meæ.
Depictas soleas palea, textumque galerum
Seruaui, illum rure, has & ab vrbe tuli
Quin tibi meq; ipsum seruaui: num dare maius
Quis valet? & plura hîs te quoque dona manent.
Pausilypus tuus est totus, vindemia tota est:
Non ego, non sine te viuere, & esse velim.
Huc propera, ò Nesis: quæ te nunc inuida nobis
Otia, quæ choreæ, qui retinentue chori?

Num

Num me faſtidis tenuem num ſpernis amantem?
Cui ſit villa parens, & tibi villa parens.
Et ſi non diues, tamen eſt mihi vinea villæ
Proxima: dat Græcum, dat Latiumque merum.
Quæ benè culta nitet fœcunda ſepta labruſca,
Implet, & ipſa meri quatuor una cados.
Illa aderat latitans poſt ſepem, dumq; pedem fert,
Arguto ſepes obſtrepit icta pede.
Senſit adeſſe miſer: ſequitur: fugit illa propinquum
Ad litus, ſueto non benè tuta loco.
Atque ait: O Nymphæ facili ſuccurrite dextræ:
Inter Nereidas culta Diana quoque eſt.
Sic illa, exiliens medias euadit in undas,
Tum uerſa in ſcopulum protinus obriguit.
Protinus obriguit, poterant hoc numina, & ultra,
Vt ſaxum, atque uno tempore Nympha fuit.
Hæſit amans, monſtrumq; horret, nec plura locutus
Heu totus dulces liquitur in lacrymas.
Flerunt Nereides, ſociam fleuere Napeæ,
Eſt ſyluis pietas, eſt pelago, & pietas.
Tuncque Dicarchæi dederunt ſuſpiria colles:
Ex illo ſemper ſulphure flagrat ager.
Gaiola vicina fleuit, lacrymaſque dedere
Mergellina ſuas, Antiniana ſuas.
Nec non ipſa uelut uenturi preſcia fati
Verius lacrymas ſpargis, & Ægla tuas.
Ægla, olim ad numeros, quæ reſponſare ſolebas
Piſcantum, ſed nunc non niſi flere tuum eſt.
Et ſat erat ſeruaſſe tuos ad funera fletus,
Quæ ſcribenda meis morte reliquit amor.
Verum ille, ut uidit mutato corpore Nympham,

Vidit, & infelix, nec ſibi credit amans;
In mare præcipitem ſeſe demittere tentat,
Caro etiam ſperans poſſe frui ſcopulo.
Sed Bacchi pietate (canat quis mira Deorum?)
In vitem, hærebat cui modo, verſus abit.
Quę nunc mœſta etiã illacrymat, quę cortice manat,
Heu memor exitij tempus in omne ſui.

Verùm exactiùs re trutinata, propoſitæ ſententiæ inhærere minimè potui; primò, quia apud Ciceronem, cęteroſque veteres Latinos ſcriptores, receptum quondam à Græcis nomen, inſula retinuit. ſic enim ille ſcribebat in philippicis *Adhuc ipſis ludorum diebus viuebam in Inſula clariſſimi adoleſcentis Luculli propinquitui*, vnde etiam habemus Neſidem Lucullianę domus fuiſſe villam, & ad Atticum. *Bruto tuę literę gratæ erant; fui enim apud illum multas horas in Neſide, cum paulò ante tuas literas accepiſſem.* Et alibi. *Hęc ego conſcendens è Pompeiano tribus actuariolis decem ſcalmis Brutus erat in Neſide, etiam nunc Neapoli Caſſius.* Quod coniecturæ dat locum, primo ad has oras Græcarum coloniarum appulſu, inſulam fuiſſe Neſidem, atque non carere myſterio, ſuperſtitioſos illos populos, nomen omnibus ſcopulis, quos circum mare fluit, commune, huiusvnius tantùm efficiſſe proprium, conſtat itaque ex ea, quæ apud nos viget rerum Italicarum memoria, Neſidem ſemper fuiſſe inſulam, non ſecus, ac inſulam ſemper deſignauerat Neſis, ac ſi Plinij æuo, qui inſulæ nomen illi tribuit, de abciſſa à Pauſilypo Neſide fuiſſet fama vagata, certè ille in adducto

Lib. 16. epiſt. 17.

ibidem.

epiſt. 3.

ſu-

ſuprà loco, vbi ſingulatim inſulas enumerat, à continenti quondam abſciſſas; non ſecus, ac de proxima Pytecuſarum inſula pronunciauit, de Neſide pronunciaſſet.

Secundò cum *Purgaturi* ſcopulus anſam dederit aliquibus credendi Neſidem aliquando fuiſſe Pauſilypi partem, quę per dictum *Purgaturi* ſcopulum erat illi continua, proderit animaduertere quod mare inter ipſum ſcopulum, & Neſidem, fluens in latitudine paſſuum ferè centum, profunditatem habet trium, quatuorue paſſuum; ea verò parte qua ſcopulus in Pauſilypum elongatur intercurrens mare vix quatuor, aut quinq; pedes profunditatis complet, quod dat coniecturæ locum, *Purgaturi* ſcopulum rupem aliquando fuiſſe Pauſilypi, ſed nullo modo Neſidem, à qua in ſcopulum, tantum abeſt vt in illo euripo abruptionis veſtigia cernantur, vt in illo interuallo iactis molibus fuerit olim arte, quod natura negauerat, tentatum. Nec quicquam veri pronunciant, autumantes geniali Lucij Luculli cupidine, perrupto ſcopuli iſthmo, fuiſſe pelago dirempta repagula, quibus Neſidem circumfluere prohibebatur; cum id Neapoli; vbi nunc *il Caſtello dell'Ouo*, Caſtrum Lucullanum olim, mari eminet, quondam euenisſe ſit traditum, vbi Varronis, quæ ſupra retulimus verba applicanda, non autem hic in Pauſilypo: nomen quippe erat ſcopulo apud Græcos *Megaris*, ſiue *Megalia* à Megala, ſiue Megara Herculis vxore, dicto, vnde Plinius. *lib. 6. c. 6.*

Inter Pauſilypum, & Neapolim, Megaris.

At-

Sylu. li. 2. Atque Statius.

Queque ferit curuos exerta Megalia fluctus.

Saxo deindè à Lucio Lucullo exciſo, Lucullanæ Arcis apud ſcriptores appellationem retinuit, atque nunc retinet. Credo equidem euiſcerationem *Purgaturi* ſcopuli opus fuiſſe Luculli; qui Neſidis Dominus fuit: verùm fornix ille eo fuit ordine diſpoſitus, vt à continenti ad Neſidem tenderet, non autem, vt mare Occidentale cum Orientali coniungeret, inſulamq; Neſidem à Meridie relinqueret.

Deducitur tertiò ex ſaxi diuerſitate, atque ex ijs, quæ in Neſide,& Pauſilypo diuerſa apparent: etenim præterquamquod durior eſt Neſidis,quam Pauſilypi ſcopulus, huius pumiceus, illiuſque ſciſſilis,Neſis quondam ſuo Vulcano non caruit, ſubterraneis incendijs, ſulphureiſque effluuijs, vt ſupra de portu *Pauone* ex Tatio deduximus;& nunc vnicuiq; obſeruanti ſunt obuia in parte inſulę Occidentali furentis quõdam incendij veſtigia: quippè à Septentrione Meridiem verſus viginti ſupra maris planitiem pedibus, trium pedum latitudinis ſolea per inſulæ ſaxum intercurrit, quæ nigrorum lapidum aceruum, ſulphure concrematorum, eoque redolentium oſtendit. Subterraneos hoſce Vulcanos in Pauſilypo exarſiſſe, non eſt adhuc memoriæ proditum, nec in eius tractu aliquo monemur incendij ſigno; cum locorum diſpoſitio ad illud auertendum concurat;lacus enim Agnani, & balneolorum ager planus, & humilis inter Vulcani forum, & Pauſilypum poſiti, ſubter-

terraneis ignitis effluuijs effluxum adeo facilem præſtant, vt eorum in aera diſſipatorum ſit tantùm ſpectator Pauſilypum, non autem conſeruator; hinc balneorum venæ quę propè radices Occidentalis Pauſilypi fluunt, vix tepidæ, ferèque frigidæ experiuntur; vt nõ præteream Pauſilypi pumiceum molleque ſaxum, nil commune cum eo Olibani montis, omnium duriſſimo, habere, quod ex vtriuſque è centro terræ diſtincta emergente linea, effici, nemo eſt, qui in dubium vertat, id quod trepidantis Neapolis ſecuritati inter fumidum Vulcani Forum, ingiferumque Veſeuum, poſitæ, non parum conducit.

Neſis ergo Occidentali ſui parte, qua Puteolos reſpicit, ac humiliori alluitur vnda, cum Olibano monte ſubter mare communicat, cum quo ſulphureorũ ignium commercia intercedebant; ab eius planitie Thyrreni maris cratera vndique conſpicitur; præter inflexum inter Megarim, & Pauſilypum ſinum. Marci Tullij Ciceronis temporibus Neſidem incolebant non paruæ notæ viri, vt ipſemet teſtatur adductis ſuprà verbis. Quod etiam aliquorum vetuſtiſſimorum ędificiorum ruderibus illorum ſeculorum texturæ modum ſeruantibus, quæ in inſula conſpiciuntur, confirmari vltrò poteſt; nec reticendum, quod culturæ occaſione, dum tellus ligone excauatur, aliquæ inueniuntur tumulatorum cinerum, integrorumq; cadauerum arcæ, fictilium vaſorum varietate, ac multitudine repletæ, gladijſque, quos vidimus rubigine conſumptos, alijſque armis, decoratæ.

Cre-

Credo equidem nemoroſam tunc Neſidem, vt eo annuit Statius carmine.

Syluaque, quæ fixam pelago Neſida coronat.

rara inter ſuas vmbras, & ad paucorum delitias tunc habuiſſe ædificia.

Minimè quidem temerè ſuprà Lucani adducta carmina, & Statij interpretantibus, noſtræque amœniſſimæ Neſidi malignum, peſtilenſque cœlum tribuentibus, aliqua eſt adhibenda fides; cum apud notatos Poetas carmina nilſonent, præter ſubterranei Vulcani eruptionem, quæ aliquando Neſidi accidit, quod apertiſſimè oſtendunt Lucani verſus.

tali ſpiramine Neſis.

Emittit Stygium nehuloſis aera ſaxis,
Antraque lethiferi rabiem Typhonis anhelant,
Inde labant populi, cœloque paratior vnda
Omne pati virus durauit viſcera cœno.

Atque hoc diſertè magis de Veſuuianis eruptionibus facile concinere cuicumque poetarum foret; attamen Veſuuij, neque malignum, neque peſtilens experimur aer.

Celebris fuit ob aſparagorum fertilitatem Neſis, & excellentiam, quod ſequentibus verbis notauit Plinius; cum *quod aſparagum, Quod in Neſide Campaniæ inſula ſponte naſcitur, longè optimum exiſtimatur*, ſcribat. lib. 19 cap. 8.

Neque hodie illis caret; ſed vbi inculta eſt, frequenti aſparago viret: ferax vbique quoque ſemper cuniculorum fuit; eoque in diem eorum fœcunditate completur; vt in tam breui inſulæ circulo

culo data multoties omnibus venandi libertate, omnes cuniculos perdere numquam fuit hactenus poſſibile. quod etiam apud Ateneum notatum legimus iis verbis. *Multos quoque nos vidimus cum Neapolim à Dicearchia nauigaremus in Inſula à terra parum diſſita, quæ ad extremam Dicæarchiæ partem iacens, hominibus paruis* (legendum puto paucis) *incolitur, & his abundat cuniculis.* Ob accuratam nunc Inſulæ præſentis Domini vigilantiam, præter res notatas, excellentis eſt quoq; olei, & vini, ne dicam fructuum omnium inſula ferax: mare quo circum alluitur, quod eſt ſuæ iuriſdictionis, piſcoſiſſimum eſt; vnde ſingulari induſtria Præſidentis Aſtuti Moderatoris eſt inſulæ cenſus adauctus: quippè per adaptatas ſub vndis inſidias ingentis magnitudinis thynni, in venatoria veluti ſepta adducti, ferro cateruatim exanimantur, quorum mercatus lucri præſtat non parum. Apud Bedam notata reperiuntur hęc verba. *Neſidanũ Monaſteriũ, haud procul Neapoli Campaniæ* de quo Monaſterio nihil aliunde conſtat. *Diſpnoſop. lib. 9*

Eſt ſane memorabile quod Neapolitanum hoc Regnum in ſeditioſo pelago naufragum, in parua hac inſula tranquillum, pacatumq; inuenerit portum; Etenim anno quadrageſimo ſeptimo Currentis Seculi, cum malignum aliquod aſtrum Neapolitani Regni inuideret felicitati, Plebeorum animos eò concitauerat, vt cum illis non fuiſſet ſatis in Nobiles, Regnique Primates ſub plebeis ductoribus truculenta ſeuiſſe rabie: inſano furore perciti in Auguſtiſſimum iuſtiſſimumque Auſtriacum con-

conſpirauere Monarcam, vt illum tanto Regno priuarent; in hac patranda perfidia, cum ſuis non fiderent, Henricum de Lorena Ducem Ghiſium ſibi aſciuere, cui pleniſſimam conceſſre poteſtatem; Hic Regnum, quod illi ſors obtulerat, affectare cepit, totiſq; incumbebat viribus vt Hiſpanos ab Vrbe expelleret, quod appulſu claſſis Regis Gallorum, quam iam ſoluerant, eſſe ſine dubio obtenturum Plebi pollicebatur; Interea Neſis à parua ruſticorum manu pro plebe occupabatur, aduentuſque Claſſis præcurrebat rumor, cui, cum Neſidis portum occupare, liberum eſſet, maximo Hiſpanorum detrimento; Comes de Ognatte Prorex triremem ad Neſidem miſit cum militum cohorte, qui, fugatis ab inſula ruſticis, eam in cuſtodiam recæpere. Id cum perſenſiſſet Ghiſius, ſiue quod ſuis finibus multum intereſſet Neſidem in ſuam redigere poteſtatē: ſiue quod hiſpanos nihil audere poſſe crederet, ſequentibus eum armatorum copijs, præcedentibuſque bombardis, Vrbem inermem reliquit, & in Pauſilypi ſupercilium petijt, vt inde Neſidem expugnaret; Comes de Ognatte, Ghiſij imprudenti audita deliberatione, vt eum, ad perſiſtendum in ea, vlterius ſtimularet: triremes à portu ſoluere iuſſit, vt pigro remigio circa Neſidem oberrarent. Interea ipſe occaſione ſuſcepta ſequentibus eum nobilium ordinibus, militumq; cohortibus, Plebeiorum argines, quibus Hiſpanos occluſerant, nemine reſiſtente, ſuperat, à Neapolitanis pacifice recipitur, totamque Vrbem per anni ferè curſum ſeditiosè tumultuantē, breui horę ſpa-

tio

tio in Regis redigit poteſtatem, & priſtinæ tranquillitati reſtituit. Ghiſius ab omnibus relictus aufugit, & prope Capuam in Regiorum militum manus incidit, & per aliquod tempus carcere detentus, tandem à Regia munificentia obtinuit libertatem; ita Neſis Regi reſtituit Regnum, Regno pacem, Ghiſio, poſt recuperatam libertatem, priſtinam paupertatem, & errores: Seditioſis Crucem mal am.

Fuit olim Neſis ſub Piccolomineis Amalphientium ducibus dominio, quod de inde in Scillæ Principes tranſijt; ab his in poteſtatẽ Vrbis Neapolis deuenit, quæ inſulam Conchæ Principi conceſſit, iterumque in eiuſdem Vrbis Dominium fuit recepta, poſſeditq; illam demum nobilis Macedoniorum familia. Nunc noſtris diebus Neſis ius feudi acquiſiuit, quod cum ſuis priuilegijs in Ioannem Dominicum Aſtutum Regio ærario Præſidentem collatum eſt; Vir prudentiæ iuris ſummè peritus, ac rerum agendarum promptitudine donatus; hic magnis aſſuetus rebus, vt exiguã Neſidem Genij amplitudini conformem efficeret, nil hactenus prætermiſit; etenim inſuiam ex agreſti, nemoroſaque ſylua, hominum commercio imperuia, tutaq; ſolum cuniculis, ad cultiſſima pomaria excoluit, fructuum varietate, & excellentia Heſperidum hortis comparanda; Arcem, in Neſidis culmine ab Amalfienſibus ducibus Piccolomineis quondam miro ædificij ordine, conſtructam, inhiantem iam; ferèque collapſam, priſtinæ magnificentiæ, ordinique reſtituit, hoſpitando Regem

gem haud imparem, illique viam adiunxit, qua, licet repenti cliuo, à littore eò placidiſſimè aſcenditur. A parte Auſtrali circum Pauonis portus argines, non pauca ædificia erexit, piſcinas excauauit, fontes aperuit, complanatis tumulis amplas excidit ſemitas; ita, vt nunc ibi inſula, habitantibus frequens, nil ſuo Orientali littori inuideat; iamque coloniam deduxit, arginibus explosis vndis, inſtituto hoſpitio, multiplicatis ædificijs, additis munimentis, erecto templo, in quo aſſidua Sacerdotis permanſione quotidie Sacra fiunt quò per mobilem pontem eſt aditus, ſupraque illius ianuam hæc in marmore carmina leguntur.

Nauita ſiſte ratem, temonem, velaque fige;
Meta laborum hic eſt, grata quies animi.

P P.A.D.M.D.LXI.

Addidit, & bomborum numerum in loci defenſionem, conſpicuo iam oppido ſuperbientis, quod haud augeri deſinet, ſi quam Vir Magnus fouet in mente ideam in opus deducat, ſcilicet, vt iactis in mari molibus vſque ad *Purgaturi* ſcopulum, à continenti in inſulam aggeratum iter pateat euntibus.

Hæc de Neſide, quam poſtremo celebrem reddidit vir Doctus Dominicus Antonius Iordanus vernaculo idiomate de ea elucubrato opuſculo ſub titulo *l'Iſola di Neſide* quod legere neminem poenitebit.

THERMOLOGIAE ARAGONIÆ

BALNEOLORVM AGER.

A Nesíde, si in continentem tellurem septentrionem versus oculorum aciem dirigas, non sine delectatione amplam intueberis planitiem, quæ, à frequentibus thermalium aquarum scatebris in litore manantibus vernacula voce appellitatur *li Bagnuoli*. Hæc planities ab Austro in septentionem per duo millia passuum extenditur, ac spatio non minori ab Oriente in Occidentem dilatatur; ab Austro litore terminatur, in reliquo verò ambitu exertis cingitur collium iugis: quippe ab Oriente, à Nesidis mare vique in exitum cryptæ, illi Pausilypum eminet; ab exitu cryptæ, à quo septenrionem versus Pausilypi nomen in Antinianum, vulgo *Anitgnano* mutatur, repentibus eius, continuisque tergoribus veluti muro sepitur, nam *Antinianum* Occa-

ſum verſus flectitur, & ſuper *Agnani* lacum altiſſima rupe, in cuius culmine Camaldulenſium nunc veneratur Eremus, indigenis Nazaret, deſinit; hinc ipſi ſui nominis etymon *ante Agnanum*; Quod locorum poſitionem non ſolum, verùm etiam eorum proprietates denotat: quippe *Agnanum* græcum eſt nomen adulteratum à vulgo, quod in ſua puritate erat *ανια* triſtitiam, moleſtiam, moerorem, doloremque deſignans: ſed cum lætitiam, placidam amœnitatem, animi Gaudium, & relaxationem experirentur in oppoſito colle Græci, addita prępoſitione *ανανιανα* illum appellitauere: atq; non aliter Pauſilypi nomen compoſitum fuiſſe reor. Antaniana igitur erit correcta collis pronunciatio, non autem Antoniana, vt quibuſdam placuit, qui coniecere Antoniorum Romanæ quondam familiæ in eo colle fuiſſe villam. Collis eſt apud Iouinianum Pontanum perquam celebris, quem, carminum vi facta metamorphoſi in Antinianam nympham, reddidit illuſtré; In amœniori huius collis parte, quæ Pauſilypi mari imminet villam habuit Pontanus propeviam, quæ ad Appiæ inſtar ſtratam olim Puteolis per Antinianum Neapolim ducebat, adhuc alicubi ſuperſtes. Recolit nunc locum Vir nobilitate, & doctrina Illuſtris Iacobus Capicius Galeota Eques Sancti Iacobi, Dux Sancti Angeli, & in hoc Regno conſiliarius à latere; excitatis enim ibi ſuperbiſſimis ædibus, ornatis hortis, villiſque excultis, ſolitarium illum tractum frequenti iam nobilitauit Colonia, obſcuratumq; cultiſſimis ſuis Muſis

ſis, quarum commercio, quamuis Regni implicitus curis, ſæpiſſimè gaudet, priſtinæ celebritati reſtituit: vnde loci Camenas à Pontani letho profundiſſimo oppreſſas lethargo, excire ſic placuit.

Eia Sorores Antinianæ plauditæ Muſæ:
Pontani genium, nam Galeota fouet.

Antinianę rupi, humiliores aliquantum Agnani lacus tumuli ſunt continui, ad Auſtrum vergentes, qui lacum *Agnani*, & planitiem balneolorum, cuius nunc deſcribimus fines, dirimunt; poſſidentur à religioſis Dominicanis viris, propterea à loci Colonis *le Colline di S. Domenico* indigitantur. hi tumuli, à parte lacus, in ſemicirculi figuram curuantur, à parte verò planitiei, reſpondenti conuexitate extuberant, ac ſublimiori colli, quem *Monte Spino* appellitant, iunguntur in via, quæ in *Agnani lacum* deſcendit; Collis iſte *Spino* ſuper auſtralem lacus limbum frontem eleuat, Antinianæ oppoſitæ ſibi rupis æmulam, ac Occidentem verſus in ſterilem *Olibanum* degenerat; qua verò Pauſilypum, & Orientem reſpicit, leni, cultoque cliuo verſus Neſidis mare in hanc noſtram Balneolorum planitiem, & litus decreſcit; huius planitiei, & collium, quibus cingitur, ſumma eſt fertilitas vini, ſegetum, omniſque fructuum generis; verum tamen eſt quod in plano perfectam maturitatis ſuauitatem non acquirunt, propter ſolis Orientis defectum, quo, ob Pauſilypi eminentiam, quatuor, aut quinque horarum ſpatio priuantur, ſpiſſaque obruuntur nebula, e ſubiecta pingui tellure fluente, quam etiam inſalubrem experiuntur

coloni. Ager iſte apud incolas triplici nomenclatura diſtinguitur; etenim pars quæ mare attingit dicitur *li Bagnuoli*, quæ verò Antiniano ſubiacet, ob lapidum fodinas, dicitur *Soccauo*; tertia inter has media, in quam cryptæ Neapolitanæ, ſupra deſcriptæ, aperiuntur fauces *fuora grotta* appellatur.

Neapoli itaque per cryptæ tenebras abeuntes Puteolos, vbi lucem recuperant Pagum ingrediuntur à ruſticis frequentatum, qui à ſitu dicitur *Fuòra grotta* ibi cryptæ via abit in triuium. Primò ſiniſtrum Iter aperit, quod per Pauſilypi montis radices ad litus prope *Purgaturi* ſcopulum ducit; procedit deinde rectà, ac ab Eccleſia Parochiali, quæ in eius medio occurrit in nouum leuum, & antiquum dextrum dirimitur curſum.

Eccleſiæ titulus eſt Sanctæ Mariæ gratiarum Puteolanę Diœceſis, quamuis Colonia, & locus Neapolitanæ ſint ditionis. Ante Eccleſię plateam, erecta eſt marmorea moles, quę à crypta venientiũ ferit aſpectum, vt gloriæ nominis Perafani de Ribera Alcalenſium ducis, optimi olim Regni Proregis, conſcij fiant; in marmore enim, quod ſublime tenet, ſequentia leguntur.

PHI-

PHILIPPO II. CATH. REGNANTE,
Perafanus Ribera Alcalæ Dux, Prorex,
Qui vias fecit ab Neapoli ad Brutios,
Ad Appulos, ad Samnites, ad Latinos; opere
Ampliſſimas: hanc quoq; viam, cliuis
Antea difficilem, arctam, interruptam;
Cum iter eius ad mare direxiſſet;
Vaſtaq; ſcopulorum immanitate Conſtrata
Nouam aperuiſſet, Puteolos
Multo breuiorem, perpetuam, illuſtrem,
Atque latam perduxit
M. D. LIX.

Latique huiuſce marmoris in calce vtrinque ſchedulę adhuc marmoreæ ſunt poſitę, quę hæc habent.

Incerti authoris vetus antrum adeo illuminauit, perfecitque, vt ſit procul dubio Peraſtanium

Cuius opera pulcherrimæ viæ, eius & prouidentia tutiſſimæ.

Erit hic oportunum de viarum tum antiquarum, cum nouarum, quæ ad hunc pertinent locum, diuerſitate, aliquid tradere; diſcrepant enim quodamodo aliqui, in ijs aſſignandis ſcriptores; Cum Orbis Dominio potiretur Roma, eius Principes viri, pluſquam alias delitias, frequentabant Baianas, qui vero negotiationibus, & mercaturis vacabāt, Puteolos celebre adibant Thyrreni maris Emporium: his, quoties per mare licebat, ab Oſtia ſoluentibus felicior, commodior, breuiorque erat

ad Baias, & Puteolos appulſus; verùm cum maris vicißitudinibus fidere non poterant, per Appiam viam, Roma per Minturnum, & Sinueſſam, nunc *Rocca di Mondragone* Capuam vſque, ab Appio Claudio ſilicibus ſtratam, ad ea loca perueniebãt; cum enim à Sinueſſa per Capuam eundi Puteolos longius eſſet iter, quam à Sinueſſa per litus Thyrreni maris, licet arenæ lubricitate, & reſtagnantiũ circa mare Saonis, Vulturni, & Clanij fluuiorum cœno infelicius, vt de eo Statuis cecinit.

Syl. li. 4. car. 3.

Hic cœno populis vias grauatas,
Et Campos iter omne detinentes
Longos eximit ambitus, nouoque
Iniectu ſolidat graues arenas.

Tamen, quia breuius, altioribus Reipublicæ temporibus frequentabatur, vt teſtis eſt Liuius ijs verbis *Sinueſſę, quòad conueniendum diem edixerat, exercitu luſtrato, transgreſſus Vulturnum flumen, circa Liternum Caſtra poſuit.* idemque fuit Ciceronis iter, quod in vna ex ſuis familiaribus epiſtolis commemorat. Huius itineris infelicitatem, opere humanis viribus impoſſibili, Nero Cęſar auferre præſumpſit, allectus ſpe inexhauſti cuiuſdam theſauri, qui ex Africano ſolo erui poſſe illi promittebatur: decreuerat enĩ ab Auerno lacu Oſtiã vſque, hominum labore, aperiri foſſam, in quam immiſſo mari, veluti per imperturbabile ſtagnum, omni tempore tuta, commodaque fuiſſet in Baianum nauigatio; huius ſtultitiæ in eius vita Suetonius meminit, eamq; non reticuit Plinius, remanſeruntque, vt hactenus extant prope Cumas, *veſtigia*

lib. 23.

lib. 9. 23

cap. 31.

gia irritæ ſpei vt Tacitus ſcripſit. *Annal. lib. 13.*

Domitianus verò in voluptatum illecebris Neroni haud abſimilis, in hoc itinere reſtituendo prudentiori vſus conſilio, ſummam ſuo nomini gloriam comparauit; Appiæ enim viæ vbi per Sinueſſam erat conſtrata, ſuam copulauit, illamq; per litus Liternũ, Cumas, deinde Puteolos, & Neapolim ſimilibus ſilicibus, & modo ſtratam, produxit. Hanc Domitiani viam in ſuo itinerario ſingulari dimenſione ita menſurauit per ſucceſſiuum locorum ordinem Antoninus.

Iter à Tarracina Neapolim. M.P. LXXXVII.
Sinueſſam. M.P. XLIV.
Liternum. M.P. XXIV.
Cumas. M.P. VI.
Puteolos. M.P. III.
Neapolim. M.P. X.

Hac eadem via ſtrata, non adeo frequentabatur Appia verſus Capuam, vt Puteolos conduceret, ob longiorem circuitum, propterea mæſtam illam finxit Statius adducto nuper loco.

Illic Appia ſe dolet relinqui.

Vbi etiam quæ ſequuntur habet carmina, tum Domitiani hanc viam à Maſſicis montibus inceptam, connotantia, tum ſolicitam curam, quam in ea perficienda Imperator fouebat.

It longus mediàs fragor per vrbes,
Atque Echo ſimul hinc, & inde fractum
Gauro Maſſicus vnifer remittit.
Miratur ſonitum quieta Cyme,
Et Literna palus, pigerque Sauo.

At flauum Caput humidumquè late
Crinem mollibus impeditus vlmis
Volturnus leuat Ora.

Eiuſdemque carminis rithmo eiuſdem vię vtilitatem, commoditatemq; efferre non præterijt Statius ita.

Hic quondam piger axe vectus vno
Nutabat Cruce pendula viator,
Rodebatque rotas maligna tellus,
Et plebs in medijs Laitina Campis
Horrebat mala nauigationis.
Nec Curſus agiles, ſed impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,
Dum pondus nimium quercus ſub alta
Repit languida quadrupes ſtatera.
At nunc quæ ſolidum diem terebat,
Horarum, via facta, vix duarum.
Non tenſæ volucrum per aſtra pennæ,
Nec velocius ibitis carinæ.

Domitiani ergo via, non Appia, à Sinueſſa per litus Cumas ducebat,& à Cumis Puteolos, ni velint aliqui propter copulam cum Appia, & ſtructuræ ſimilitudinem, viam Domitianam,Appiam dicere.

A Puteolis deinde Neapolim iter præſtabat hæc via per Olibani montis iugum, deſcendebatque in radices collium lacus Agnani,ſiue S.Dominici, quos circuibat,& verſus Antignani cliuum pergebat per ſiniſtrum latus Eccleſię parochialis *di fuora grotta*, quam ſupra notauimus, diciturque hodie *la via vecchia di Puzzuolo* cuius paſſim hactenus

ctenus cernuntur ad modum Appię ſtrati ſilices. Inſtauratores olim habuit hęc via à Puteolis Neapolim Imperatores Neruam, et Traianum, vt ex quibuſdam inſcriptionibus à Capaccio in ſua hiſtoria Neapolitana relatis, conſtat; fallitur tamen Capaccius, vt ante ipſum à vero aberrauit Sabellicus in commentario ſuper Suetonium in vita Caligolæ, Appiam, hanc viam exiſtimantes, vt dignitatem illi adderent ex Statij authoritate, apud quę *Regina viarum* Appia dicitur, ſatis enim eius dem Statij muſa id ſupra demonſtratum eſt, idemque alibi confirmat hiſce carminibus.

lib. 2. c. 5.

cap. 19.

Syl. li. 2 car. 2.

Syl. li. 4 car. 4.

Curre per Euboicos non ſegnis epiſtola campos
Hac ingreſſa via, qua nobilis Appia creſcit
In latus, & molles ſolidus premit ager arenas.

Verum poſita diſtinctione inter Appiam, & Domitiani viam, libenter fateor, quamlibet antiquam viam, ſilicibus ad Appię modum ſtratam, Appiæ apud populos meruiſſe nomen.

Redeo nunc ad exitum cryptæ, vbi in erectæ molis marmore nouam quandam viam Neapoli Puteolos ducentem à Perafano Ribera adapertam, legebamus. Optimi huius Proregis tempore via Domitiani, quæ per iugum Olibani Neapolim ducebat, iam diſiecta, & perfracta erat, & latrunculorum inſidijs in collium receſſibus ſubiecta, propterea in cryptæ exitu, vbi nunc eſt parochialis Eccleſia, relicta à dexris antiqua via Domitiani; à ſiniſtris nouam, planam, amplam, illuſtremque aperuit Perafanus, quę poſt protenſum à ſe ramum à dextris, in Agnani lacum ducentem, continua-

eſt

eſt in Balneolorum litus vbi *la Torre di mezauia* Oliuetanæ Religionis rurale domicilium; eandem deinde amplitudinem retinens per longum litus complanatis ſcopulis, miroque ſtrato ponte Puteolos planiſſima pertingit, eſtque via, cuius in marmore memoriam legimus.

Eſt preterea notandum, quod tota huius agri Balneolorum planities humi e habet, reſpectu circumeuntiũ collium, ſolum, ita, vt eleuatiori ſui parte altitudine viginti palmorum plano maris emineat. pingui, rorcidaq; tellure; cumq; Vulcanus ſub adiacentibus montibus, clauſus impetu furens, per impoſitã ſupra ſe molem erumpere nõ poſſit, verſus hanc planitiem ſe ſe egerens, per humile eius ſolum effluit, fraceſcente eiuſdem ſoli humore, in vaporem ſolicitato, indutus; ita quòquò verſum, planitiem perfluens, eius aerem imbuit, reddens illum tum maturandis fructibus, tum animalium reſpirationi ineptum, & inſalubre, quæ damna à Pauſilypo monte non parum augentur, cum ferè ad meridiem vſque Orientis ſolis radijs ab eius vmbra planities priuetur, quod cauſam fuiſſe puto locum alioquin amœnum, mare, thermarumq; ſcatebris à natura dotatum, neque coſpicua ædificia, neque incolas, præter ruſticos hactenus meruiſe: quamuis Blondus, quem ſequutus eſt Cluuerius, ſcripſerit in huius agri medio, è regione lacus Agnani illam fuiſſe Lucij Luculli memorabilem villã cum piſcina, Marcum Varronem, Plinium, & Plutarcum in Lucullo, ſiniſtrè interpretatus; Marci, Varronis traditionem iam ſupra ex-

pli-

plicuimus in Pauſilypo; Plinius verò hæc de re memorię prodidit. *Lucullus exciſo etiam monte iuxta Neapolim, maiore impendio quam Villam ędificauerat, euripum, & maria admiſit, qua de cauſa Magnus Pompeius Xerſem togatum eum appellabat; quadraginta millibus ipſius piſcinæ, à defuncto illo, veniere piſces.* Plinio conformem habemus Plutarcum, apud ſuum interpretem, hæc habentem. *Quid de his operibus, quæ iuxta mare circa Neapolim magnificè ſplendidèque conſtructa ſunt, iudicandum arbitramur? vbi altiores profundis foſſis tumulos ipſe ſuſpenderat; vbi maritimas ædes, eaſque pulcherrimas, atque ampliſſimas ędificarat? vbi diſcurſus maris piſcoſoſq, riuos ædibus, circunduxerat? quę ſingula cum ſtoicus Tubero haud ſatis mirari potuiſſet, Xerſem eum ex togato homine appellauit.* Quid quæſo argumenti habent horum ſcriptorum traditiones, quod Lucullanum ædificium in litore balneolorum, in Pauſilypo, vel iuxta cryptam Pauſilypi olim fuiſſe, inſinuet? certe nihil, cum particulæ illæ *iuxta Neapolim* apud Plinium, & *Circa Neapolim* apud Plutarcum, & *ad Neapolim* apud Varronem nullo modo litus balneolorum, Pauſilypum, vel Neapolitanam cryptam deſignare poſſint; Hęc enim loca, Luculli, & Plinij temporibus, neque iuxta, neque circa, neque ad Neapolim erant, licet nunc ita eſſe quodamodo appareant; quippe Neapolis non ſolùm altioribus illis temporibus, ſed ſub Caroli primi Andegauenſis principatu, non vltra Oliuetanorum monaſterium, qui locus nunc eſt in vrbis medio

lib. 9. c. 54.

In vita Luculli

dio verſus Occaſum ſuos extendebat ciuitatis fines, reliquum ſub cliuo Sancti Eraſmi,& in *Echię* iugo,qui nunc *Pizzo Falcone* apellitatur, Sylua erat, & nemus in mare vſque: ita vt collis, qui Luculli ęuo,ſua exerta fronte mare proſcindebat *iuxta,circa,& ad Neapolim*,ille erat,quem *Megaram* ab Herculis vxore appellauere Græci, medius inter Pauſilypum, & Neapolim; hunc à parte ſinus Pauſilypi in ſinum Neapolis proſcidit Lucullus, *& Euripum*, *& maria*, Orientale ſcilicet Neapolitanum, & Occidantale Pauſilypi, in ſuas piſcinas *admiſit*, vt notauit Plinius, qui propter huiuſmodi collis proſciſſionem à Lucullo factam, Megaram inter inſulas Thyrreni maris enume-
lib. 3.c. cap. 6. rauit ijs *verbis Inter Pauſilypũ,& Neapolim Megaris.* Meminit etiam huius collis Statius Papinius in Syluis, vbi de Surrento Pollij habet.

lib.2. *Inde vagis omen felix Euplea Carinis,*
Quæque ferit Curuos exerta Megalia fluctus
Angitur ——————

Curuabantur quidem fluctus à protenſo in mare collis fronte verſus Pauſilypi,& Neapolis ſinus; verùm an *Megaria* pro *Megalia* legendum ſit, anſam dubitandi exhibet primò Liuius ijs verbis
lib.2. *M. Brutus ædem magnæ matris Deum in palatio dedicauit, & ludos ob eam dedicationem factos, Megaleſia appellauit.* Deinde Cicero de Aruſpicum reſponſis conformi traditione. *Quid de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri maiores ante templum in ipſo Matris magnæ conſpectu Megalenſibus fieri voluerunt*, poterat enim in colle ma-

gnę

gnę matris Deorum erectum eſſe phanum, ante quod Megalenſes celebrarentur ludi, ac propterea rupis illa Megalia Statio dicta.

Ob ſumptuoſas diende Luculli piſcinas, obque villam,& ædificia in quibus magnifice conſtruendis vir ille impendio non pepercit, & profuſiſſimus fuit, ſcopulus à continenti abſciſſus Lucullanus appellari cœpit, fuitque olim dictus,& nunc dicitur locus à rudi vulgo Neapolitano corrupta voce *Locugliano*. ſcopulus etiam iſte *Sancti Saluatoris* quondam denominatus fuit à Monaſterio illius tituli ab Atanaſio Neapolitano Epiſcopo, ibi ædificato, vt refert Capaccius, quod firmioribus deinde propugnaculis munitum, caſtri nomen acquiſiuit; propterea à Friderico Secundo Imperatore, & à Carolo Primo, & Secundo Andegauenſibus Caſtrum Saluatoris appellatum fuit, eratque locus vbi Neapolitani illi Reges ſuos ſeruabant teſauros; fuit etiam per interualla Aragoniorum Regum demicilium; nunc à figura Neapolitanis dicitur *Caſtello dell'Ouo* verùm latinis ſcriptoribus ſemper Caſtrum Lucullanum, vt ſuper eiuſdem Caſtri ianuam,quò per pontem, ſtratis in mari molibus, accedimus, hęc in marmore legimus.

PHI-

PHILIPPVS II. REX HISPANIARVM
Pontē à continenti ad lucullianas Arces,
Olim Auſtri fluctibus conquaſſatum
Nunc Saxis obicibus reſtaurauit,
Firmūq;reddidit.D.Ioan. zunica Prorege
Anno M.D.LXXXXV.

In Supercilio vero collis, qui à Luculli proſciſſione in continenti remanſit, aliquibus *Echia*, pleriſque *Pizzofalcone* dictus, Andreas Carrafa villam conſpicuis nobilitatam ędibus excoluit,inquarū Ianuæ fronte extenſum marmor hæc habet.

Andreas Carrafa Sanctę Seuerinę Comes
Lucullum imitatus, par illi animo, licet
opibus impar,Villam hanc à fundamentis erexit, atque ita Sanxit, Senes emeriti eam fruuntor, delicati Iuuenes, &
inglorij ab ea arceantur, qui ſecus faxit
exhæres eſto, proximiorque ſuccedito.

Iuxta has ędes poſtremo Petrus Antonius Aragonius ampliſſimum excitauit militum tentorium fortiſſimæ, & in expugnabilis arcis munimenta præſeferens, opus tum ratione vſus, tum ratione magnificentię inter celebriora, non ſolum huius Vrbis,ſed Orbis reponendum.

Atq;prolixe iam demonſtrauimus celebrē illam Luculli villam circa Neapolim in agro balneolorum

rum contra Neſidem ad Agnani lacum non fuiſſe, vt multi, locorum inſcitia decepti, credidere; & verè in tam inſalubri plaga, tot teſauros contriuiſſe, delicati ſenſus, & conſumatæ Luculli prudentiæ, non fuiſſet.

Venerabile tamen eſt antiquitatis monumentum in hoc balneolorum agro aquæ Ductus, qui ab *Antiniano* deſcendens, per huius agri medium productus Puteolos, Baias, & Miſenum deducebat affluentiſſimas Sabati fluminis vndas: equidem integer, licet antiquo, induratoque limo obſtructus, perſeuerat hactenus, preſertim in ſiniſtro latere viæ, quæ nunc in Agnani lacum ducit, curſumque vlterius tenere demonſtrat Domitiani vię, de qua paulo ſupra. *lib. 5.*

Præterea extant in huius agri litore pleraque balneorum ad Neapolis iuriſditionem pertinentia, de quibus, adductus alibi Strabo, hæc apud ſuum interpretem memoriæ prodidit. *Habet, & Neapolis Calidarum aquarum ſcatebras, & apparatiſſima balnea nulla ex parte Baianis inferiora, numero autem, & multitudine cedentia.* inconſultè conijcere aliqui Vrbem Neapolis ex adducto Geographi loco intra, aut prope ſua mœnia apparatiſſimas olim thermalium aquarum habuiſſe ſcatebras, quum litus inter Pauſilypum, et Leucopetram extenſum, neq, ſignum caldi alcuius effluuij præſeferat; erat his aduertendum, neceſſarium non eſſe id, quod ab aliqua Vrbe haberi dicitur, in eiuſdem Vrbis ambitu contineri: ſed etiam Vrbis alicuius eſſe aliquid intelligi poſſe, quod in

eius.

eius agro, & regione, ipſius Vrbis ditioni ſubiecta, pruducitur, et exercetur: precipuè ſi id, quod aſſeritur Ciuitatis eſſe, in eius agro natura produxerit; Strabonis ergo verba de balneis in agro Neapolitano exiſtentibus intelligenda ſunt, non quidem de ijs, quæ intra Vrbis mœnia arte conſtructa Culinario igne calefactam continebant aquam, vt in ea, qui ſe in gymnaſio (quod Neapolis à ſuis primordijs habuit) exercebant, lauarent; verùm de ijs quæ tum in hoc balneolorum litore, tum in Agnani lacu, Aſturio, collibuſque Leucogeis, ex calidis aquis, in hiſce locis ſponte à tellure manantibus apparata erant. Hinc Plinius ſcripſit *Leucogei fontes inter Puteolos, & Neapolim:* *oculis, & vulneribus medentur*, quippe Neapolitanus ager, in Vulcani vſque forum, *nunc la Solfatara* ſe olim extendebat, quò etiam nunc extenditur; vnde idem Plinius cum modum conficiendi Alicam deſcriberet, hęc habuit *Poſtea admiſcetur creta, quæ tranſit in corpus, coloremque & teneritatem affert; inuenitur hæc inter Puteolos, & Neapolim in colle Leucogæo appellato*. ſubditque paulo poſt. *In eodem reperitur, & ſulphur, emicantque fontes Oraxi* (Cluuerius mutationem vocis *emicantque* in *emanantque* ſuadet; delendamque eſſe alteram vocem *Oraxi*) *oculorum claritati, & vulnerum medicinæ, dentiumque firmitati*; nec preterijt poſteritati tradere colles Leucogæos intra Neapolitani agri fines eſſe contentos, allato Auguſti decreto, qui annua vicena millia ex Ærario ſuo Neapolitanis ſolui iuſſit, vt per illos Capuanis

lib. 31. *capit.* 2.

lib. 18. *cap.* 11.

nis liceret, cretam in Leucogæis collibus pro Alica conficienda effodere : ait enim Plinius. *Extatque Diui Auguſti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari iuſſit è fiſco ſuo, Coloniam deducens Capuam ; adiecitque cauſam, quoniam negaſſent Campani Alicam confici ſine eo metallo poſſe*,eo ſdemq;Neapolitanos fines iterũ commemorat vbi de Sulphure loquitur ſcripſit enim. *In Italia quoque inuenitur in Neapolitano, Campanoq; agro* (legit Pellegrinus *Campanię* pro *Campanoq;* & rectè, diſſentitq;à Cluuerio) collibus, qui vocantur Leucogæi.

Legimus ergo apud Antiquos in Neapolitano agro octo in vſu fuiſſe Balnea, quorum Primum *Sudatorium Sancti Germani* fuit dictum in Agnani lacus litore; Secundum *Bullæ Balneum* appellitarunt in collibus Leucogæis, Tertium *Aſtruni* à loco nomen accępit;de his tribus,in ſubſequenti opuſculo dictis locis deſignato, plenus habebitur ſermo; reliqua quinque per longum Balneolorum litus, de quo nunc ſcribimus, ſuas habent ſcaturigines; horum primum dicitur *Foris Cryptæ*, Secundum *Iuncara*, Tertium *Bagnolo*, *ſeu Plaga*, Quartum, *Pietra*, Quintum *Calatura*. oportunè nunc hic ſingulorum recenſebimus hiſtoriam, atque vt ſine ambiguitate, quærenti illud occurrat balneum, cuius medicina indiget, ad fauces exitus cryptæ occidentalis viatorem reuoco.

BALNEVM FORIS CRYPTÆ.

Ab oſtio itaque cryptæ Occidentali exeunti, primò à ſiniſtra, via eſt continua, quæ per radices

montis Pauſilypi, in mare Neſidem alluens viatorem plano proceſſu conducit; ante verò, quam ad mare ſpatio accedat paſſuum 112. vetuſtiſſimũ, è terra eminentem, habet tumulum, inter quem, & Occidentalis Pauſilypi cliuum, planities intercedit paſſuum ferè 130. ædificium circumſtantes ruinæ, magnificum quondam illud fuiſſe demonſtrant; interni parietes adhuc quadratorum lapidum ſtructuræ elegantiam ſeruant, ac præter laterum muros, quatuor pilę ad fornicem ſuſtentandum, erectæ cernuntur, quæ altioris ædificij ſuprà olim impoſiti, ac nunc collapſi certum exhibent argumentum; imum eius inane aqua, terra, & lapidibus, plenum, nullius exiſtimabatur momenti, enatiq; circum tumulum frutices nil, prę-ter collapſorum lapidum oſtentabant aceruum, nullaque apud præſentes homines erat in hoc loco memoria balnei, eiuſque vſus nulla traditio. Primus ego cum attentus, loci thermarum inquiſitioni vacarem, à ſitu, ædificijque forma balneum ibi ab Alcadino deſcriptum ſub nomine Foris cryptæ, latere conieci, nec me coniectura fefellit; etenim auerruncatis extra fruticibus, extractoque eo, quod intus inane replebat, lympha apparuit, de qua Alcadinus.

Lympha Foris cryptæ iuxtà maris edita littus,
A ſtomacho pellit debilitatis onus;
Sed nocet hydropicis, cum ſit dulciſſima potu,
Vim conſumendi non habet, inde nocet.
Leniter ignitos aſſueta refrigerat artus,
Pulmonem læſum ſanat, & inde iecur.

Pe-

Pectoris antidotum, tussis medicamen amicum,
Deficcata febris caumate, membra rigat.
Ipsa per occultos telluris ducta meatus,
Subuenit ægrotis, est quibus aegra cutis.
Vt dicunt veteres, (satis est mirabile dictu)
Ipsa foris cryptæ Bulla ministrat aquam.

In chirographo anni 1300. depictum hoc est balneum cum figuris humanis, quæ digitis stomachum, hepar, pectus, ventremque ostendentes aqua sese abluere, eamque bibere conspiciuntur: adsunt, & figuræ excarnes, ac veluti tabescentes; notatumque ibi quoque est huius balnei vsum frequentissimum apud Neapolitanos; accedebantque ad illud cantionibus, & choreis.

Nec prçterquam nomine Sauonarola ab Alcadino dissentit; locus enim huius lymphæ apud ipsum legitur *Tripta*; ex relatione error fortè processit; est itaque corrigendus, verba eius sunt hæc.

Balneum de Tripta, substitue *Foris cryptæ, iuxtà littus maris existens, non est aqua calida, & est dulcis ad potandum. Membra nutrimenti. Debilitatem stomachi tollit potata, & hepatis. Sed nocet hydropicis. Membra pectoris. Pulmonem læsum sanat, & tussim mitigat, ac tollit. Membra expulsionis. Calefacta, & bibita ventrem lenit. Febres, Ariditatem membrorum ex febre venientem tollit. Decoratio. Aufert cutis infectiones.*

Vgulinus non solum nomen loci vitiauit; (apud ipsum enim legitur *Balneum Balneoli foris scripti*) sed hoc balneum cum eo, quod Balneolum di-

dicitur, de quo paulò infrà, confundit, ac vnius nomen in alterius descriptionem transposuit; eius itaque notationes, quę ad hanc quadrant lympham, eæ sunt, quas de balneo Balneoli falsè conscripsit hac serie.

Aliud est balneum Balneoli foris scriptæ, delę dictionē balneoli,& lege:*Foris cryptæ, & est aquæ dulcis,in qua nullaest potentia consumendi, & ideo nocet hydropicis, nocumentum pulmonis aufert. Valet contra tussim, stomachi debilitatem tollit, & hepar sanat, ex febribus exiccatos reducit, sanat cutaneos morbos.*

Franciottus huius aquæ meminit his verbis. *Propè littus præterea est balneum de Grotta.*

Mengus Fauentinus ad verbum notationes huius balnei à Sauonarola transcripsit; expurganda quoque itaque est dictio illa *Tripta*, reponendo *Foris cryptæ*. Quod deinde de eo, quod fossilę balneum fouet, subiungit. *Nos autem dicimus, quod omnes isti effectus possunt resolui in solum nitrum; quare nitrum est minera huius balnei.* Anverum sit infrà, exacta aquæ anatomia, patefaciemus.

Ioannes Villanus in chronica Neapolitana hęc habet de hoc Foris cryptę balneo barbarè scripta.

Torna in drieto per el lito, vscendo dalla Grotta andando per le radice de monte Posilypo alla faccia dello mare si troua vno bagnio,lo quale dello sito del luoco dicto fuora della Grotta: questa acqua perche ella è dolcissima da beuere: & di operatione mirabile: refrigera li membri rescaldati: bagnia li membri

bri deſiccati dalla febre: ſana il pulmone el fecato el pecto offeſo: tolle via la debilitate de ſtomacho: medica la toſſe, & la cute inferma ouero tigna: ma noce alli hydropici.

Elyſius Alcadini veſtigia calcans, omnia accuratè huius Foris cryptæ vndę notauit, ſic enim de ea ſcribit.

Situs loci inuitat me, vt retro veniam, itaque à Crypta exiens per radices Pauſilypi montis incedens ad oram maris, reperio balneum, quod à ſitu loci Foris Crypta dicitur; hęc aqua cum ſit potu, & operatione dulciſſima, ignitos artus refrigerat, deſiccata febribus membra rigat, pulmonem læſum, iecur, & pectus ſanat; debilitatem ſtomachi tollit, tuſſi, & ægræ cuti, hoc eſt tineæ medetur, nocet tamen hydropicis.

Franciſcus Lombardus Alcadini, & Elyſij notationibus contentus, ijs aduerbum tranſcriptis: nil quod illorum ſcriptorum traditiones in dubium vertat, annotauit.

Bartholomæus Taurinenſis neque in ſuis de balneis libris hanc noſtram prætерijt lympham, eamque eleganter, et accuratè hiſce verbis deſcripſit. *Septimum*, pone quartum, vt infra notabimus, *balneum de* adde, *Foris, Crypta appellatur, iuxta maris littus exiſtens, eius aqua calida non eſt; ſed dulcis quæ bibi poteſt. Potata ventriculi, & hepatis debilitatem tollit, hydropicis nocet, pulmonem læſum ſanat, & tuſſim mitigat, ac auſert.*

Andream deinde Baccium virum alioquin ac

curatiſſimum non parum admiror, qui dum Foris cryptæ lympham deſcribere voluit: multis ſe erroribus implicuit: rubrica enim habet. *Potulentæ in Puteolanis*.. Cum hæc quidem ſolo fluat in Neapolitano: ſubdit poſteà.

Subinde in Puteolanis, Cryptam vocant in hoc cenſu fontem, non longè à radicibus Gauri montis, quem barbarum hodie nominant, qui, vt natura ſoli aridæ, vegeta tamen ob ſulphures, quibus ſcatet halitus, Gauranum olim nuncupatum vinum producebat Falerno proximum; ita nunc aquas habet in potibus medicatis perutiles. Hæ ſapore dulces ſunt, limpidæ, inodoræ, operationibus nitroſæ, ac gelidæ, quamobrem excalfactæ commodiùs ſumuntur. Refrigerant potentia, thoracem leniunt, pulmonarios iuuant, tuſſim mitigant, iecori ventriculo, ac omnibus viſceribus benefaciunt: niſi quis, aut de malo habitu, aut de Hydrope ſuſpicetur; replent enim breui temporis proceſſu, atque impinguant, calidis, ac ſiccis potiùs affectibus, quam frigidis, aut laxis idoneæ.

Sub Gauro frigidæ non manant venæ, ideoque *non longè à radicibus Pauſilypi* reponendum; fortè Baccium fefellere aliquorum ſcripturę, quæ falsò Falerni nomen indidere Pauſilypo.

Omniâ huius balnei, quę extant alia apud Mazzellam, Capaccium, Mormilem, cæteroſque à prædictis, ex omni parte, tranſcripſere autoribus; propterèaque hic conſultò non ſubdimus.

Summa nunc diligentia fuit locus à ſordibus expurgatus ad aquæ vſque ſcaturiginem, cæmentoque

toque refectus puteus; vndè ab vnoquoque educi commodè lympha potest.

Deponit hęc aqua ob notabilem à Phlegręis distantiam mineræ calorem, seruatque telluris, ex qua effluit, temperiem, eam scilicet, quam aliorum puteorum, octo pedum profunditatem habentium, aquę, in non Vulcanijs locis habere solent. *Calor.*

Dum è suo fonte hauritur, nil quod naribus percipi possit, emittit; clauso deindè vase aliquantum asseruata: quamuis incorrupta perseueret; aliquid tamen spirat sulphurei, quod nares leniter ferit: fortè quia contentum in ea sal fermentescit, & in motu, sue indolis effluuia eructat, quod in destillatione manifestius apparet; nam ex aquæ partium motu, vaporumque ascensu, mineralis odor acutius sentitur. *Odor.*

Oculis tenuem quandam perspicuitatem, simplicibus aquis propriam, minimè ostendit; verùm ab ea parum declinat; ità vt, sicut notabili minimè crassitudine, ità quoquè pura simplicique tenuitate predita, haud existimari possit. *Color.*

Simplici hausu nullus in ea sapor aduertitur; sed si aliquantulùm clausis labijs per os circunducatur, aliquam salsedinis nitrosæ, impressionem linguę relinquit, styptici aliquantum præseferentem: salium enim spiritus, vt in acidorum spirituum mechanicis patet, ex inito cum terra commercio, aluminosam recipit indolem. *Sapor.*

Destillaui aquæ huius libram placido igne, admotisque ad retortæ orificium naribus, mine- *Analyſ.*

ralem ſpiritum ſenſi; primas ipſius quatuor vncias in vas recepi, aliudque ad reliquas ſuſcipiendas appoſui, vſque ad fixæ materię exiccationem.

Didici ex his, ſal, quod hac aqua fouetur, de quo paulò poſt, aliquid volatilis, & bullitione vaporantis, continere; primę enim quatuor vncię exhalatæ, aliquid acuti prę ſeferebant, atque ex iniecto in eas cupri fruſtulo, viriditate tingebantur; reliquę ſeptem aliquid exotici linguæ im-
Miner. primebant quidem, verum non acuti: ſed cœnoſę cuiuſdam dulcedinis, ac credo hanc ex telluris, per quam fluit, impreſſione pendere; quandoquidem ſalis ſpiritus acidi ſi cretę, fixæque alij terrę impingantur, immutantur, ac dulceſcunt; quod occurret ſi vitrioli ſpiritus, vel ſalis nitri in dictas illiderint terras, iterumque in aquam rareſcant.

Tandem in vitro, cum pauxillulo irreſolubilis ocrę, media ferè albiſſimi ſalis vncia remanſit, quod in ignita lamina ferrea, pauxillulo peracto ſtrepitu conſtans permanſit, neque ignem corripuit; vnde falsò, rei infecto periculo, Vgulinus nitrũ in hac aqua contineri ſcripſit; hoc ſal primo linguę experimento, quid veluti reſoluti cuiuſdam *alKali* exprimit, ac continuò, exindè grato ſalis marini ſapore ſenſum mouet; deìn, ſi diutius lingua contrectetur, vtrumque confundit, ac in auſterum ferèque amareſcentem ſapor abit; ſal eſt embryonati ſulphuris, quod terræ tactu viribus exantlatum in fixionis conſtantiam abijt, acquiſiuitque abſtergendi ſordes virtutem; non propterea mi-

rum

rum ſi huius lymphæ potu ij curentur affectus, quos ſuprà ex antiquis notauimus; etenim contenti ſalis efficacia, abſterſis viſcerum fibris, degeneribus humoribus; qui occaſionaliter ſua acredine ad calidos affectus vitam concitabant; exaſperatus corporum calor ad priſtinam reducitur temperiem, ſuffragantibus quoq; volatilibus aporrheis, quas de deſtillata aduertimus aqua; illæ enim cum volatilium ſalium indolem ſeruent, per diaphoreſim abeunt; atque in ſolidis corporum partibus, quidquid occaſionalis cauſæ latitat, mirum in modum reſoluunt, atque per emunctoria deturbant; nocet exindè hydropicis; nam cum hydrops morbus ſit reſolutus, à ſalium robore, reſolutio, cum infirmi pernicie, augeretur.

Duos hoc anno huius aquæ potus curauit infirmos, calore æſtuantes, ferèque conſumptos; leuiter purgatis prius corporibus, aqua vſi ſunt, vnoquoq; mane, ad quindecim dies librarum ad pondus vſque trium, eam per vrinam ac ſeceſſum reddendo.

Neque prętereundum hic exiſtimaui id, quod ærario fabro, hypocondriaca affectione laboranti, vel ex caſu, vel ex fide, exue huius aquæ efficacia euenit; vexabatur hic quoquè artuum omnium doloribus, acuto cum calore: conſului ego illi Balneoli lauacrum, qui huc aduectus; cum hoc Foris cryptę balneum continuò occurreret, putauit Balneolum eſſe, ac extemplo in ipſo ſe vſque ad collum merſit: vix horæ ad quadrantem in ea durauit, ac rigere cœpit; exiluit, ac proximam

ſe in littoris arenam tranſtulit, vbi ſole excalfactis paulatim artubus, illos omninò à doloribus liberos ſenſit, atque hactenus in acquiſita perſeuerat ſanitate: prodigium omnibus ſingulari energia recitans.

BALNEVM IVNCARÆ.

A Balneo Foris cryptæ expeditis, vel cryptæ ad oſtium reuertendum eſt, vel per littus procedendum: per littus enim euntes, poſt millia paſſuum, viam Regiam, quę à crypta Puteolos ducit, ingredientur; à crypta verò excuntes, relicta à ſiniſtra via, quam nuper in balneum Foris cryptæ ducentem, deſcripſimus; amplam rectamque ſi etiam à ſiniſtra calcabunt, in littus adhuc peruenient, quod dicitur ob Oliuetanorum turrim, ibi erectam *la Torre di mezza via*; fortè quia medium eſt inter Neapolim, & Puteolos; totum hoc littus, inter Pauſilypum, & hanc viam, poſitum, iuncorum feraciſſimum eſt, præcipuè vbi telluris decliuitatem ſtagnant aquarum lacunæ. Hic præter antiquorum traditiones, typis mandatas, fuiſſe balneum, apud viuentes ne aliquid erat quidem famæ, neque per loci ambitum balnei apparebat veſtigium: dum itaque anxius (nam hic omnium traditiones Iuncaræ balneum fluere concordabant) illud explorabam, fortuitò, in culto hortulo, qui à dextra, vbi via in littore ſpatiatur, remanet, è telluris plano haud omninò emergentem parietem intuitus, rem tentare non

non reſtiti ; effoſſa igitur terra balneum nobis ſeſe obtulit, ordine vetuſto diſpoſitum; illius loci planum, ad quindecim pedes è maris area eminebat, propterea, vt aquæ ſcaturigine vterentur, ſubterraneum ferè condidere ædificium; ità diſpoſitum: longitudo pedum erat 60. latitudo verò 12. quà longum erat, in quatuor diuiſum erat ædiculas, æqualis fermè menſuræ, quarum, duę extremæ duobus medijs eminebant; vtraque extremarum propriam habebat ianuam, erantque in illis circum parietes cementitia ſtrata ad Stragula deſtinata ſuſtinenda; per gradus ab vtraque in ſubſequentem ædiculam, conchas circuncludentem, vbi balnei aqua colligebatur, deſcendebatur; mediuſque inter duo lauacra paries integer erat; fortè vt viri à mulieribus ſeparato vterentur balneo; ex quatuor ędiculis iam vna extrema verſus littus corruit: dum viam aperuere Regiam, vt eam rectam facerent; vnde ego, vt ad priſtinam balnei formam ędificium reſtituerem, mediam trium ſuperſtitum cubiculorũ, longitudinem, diuidendam curaui, atque in alterutra parte balneum cum lauacris aperui, ita vt partem in alteram altero laterali cubiculo, in alteram altero ſeparatim eſſet ingreſſus; in erecto deindè ſuper planum telluris fornice, aperta ianua à dextera, & à ſiniſtra duplices, vt conderentur effeci ſcalæ (viris alteræ alterę mulieribus, ſi opus fuerit) ad ipſas laterales tendentes ędiculas, in quibus pro expandendis ſtragulis, aliaque loca poſt lauationem neceſſaria, omnia ſunt opportunè, diſpoſita; atque

que hæc eſt vetuſta, ac præſens *Balnei Iuncaræ* diſpoſitio, & locus.

De hoc balneo *Iuncaræ*, ſiuè *Iuncarię*, quod à iuncis, ibi naſcentibus, nomen deſumpſit, propterèàque quoque *Bagno delli Giunchi* dictum apud Lombardum; ſequentia Alcadinus primò ſcripſit carmina.

Balnea Iuncaræ, quæ ſunt in littore Ponti,
Proſunt conſumptis, ni ſit aduſta cutis.
Pectoris amiſſas reparant in corpore vires,
Lætificant animos, gaudia ſumpta fouent.
Quæ veniunt per ſe, mentis ſuſpiria tollunt.
Et faciunt alacres in muliere viros.
Efficiunt Veneris renes ad prælia fortes,
Confortant ſtomachum, lumina læſa iuuant.
Quas hominum febres cœtus interpolat vſus,
Annihilant, nec non triſte medentur hepar.
Talibus vſus aquis diſcrimina nulla timebit,
Quę quandoque ſolent extenuare cutim.

Quę circum hæc Lombardus.

Hepar. vox hæc habet primam productam, grecè enim ſcribitur ἧπαρ τῶν. Sed gratia metri (vt in cap. 6. diximus) primam corripuit mutato: υ. in ε. ſicut fecit Macer. 3. cap. 8. nec mirum, quando (vt ait Manilius 3. ἀστρονομικῶν. ornari res ipſa negat contenta doceri. Et ſicut herbarum vires (Stoę ſententia) difficile eſt elegantiſſimo celebrare ſtylo, ſic à ſimili dicam de Alcadino, & Euſtaſio penes materiam balneorum.

Annihilant. aliter ſic, ad nihilum redigunt, purificantque iecur.

Interpolat. gratia metri aufertur alterum, l. ſicut mos eſt Poetarum in reperi retuli, & alijs huiuſmodi.

In chirographo anni 1300. depictum eſt hoc balneum cum figuris humanis in aqua ſe mergentibus, atque alijs eas ob debilitatem ſuſtentantibus, notaturque quoque ibi, prodigioſum in conſumptis reficiendis fuiſſe balneum.

Et Ioannes Villanus in ſua chronica Partheno-pæa de eo ſic barbarè loquutus fuit.

Andando oltra per l'arena ſe troua l'acqua de Iuncara: la quale ſe chiama Iuncaria: da li gionchi che naſceno: quale credo ſi denomina: queſta onda letifica la mente, nutrica l'allegreza, tolle via li ſuſpiri che veneno da ſe: prouocala luxuria, & fa forte li rine, conforta lo ſtomacho, ioua alli occhi offeſi de corta viſta, corobora le forze dello fecato, ſana la milza, ingraſſa il corpo, humilia la febre erratica, e priuede, e fa che la cute non ſa ſottilia.

Meminit quoquè huius balnei Sauonarola, aliqua cum nominis alteratione indigitauit enim illud *Deiuncare*; imprudenter ipſe, quiue impreſſere, articulum ac nomen ſimul compreſſerunt, quod admiror Capaccium, loci patrium, nominis animaduerſa varietate, toleraſſe; deme igitur *de*: hæc eius ſunt verba.

Quintum Deiuncare dictum: eſtque iuxtà litus maris poſitum. Membra nutrimenti. Confortat ſtomachum, & hepar. Membra pectoris. Pectus confortat, animum lætificat, & gaudia in eo inducit,

cit, ſuſpiria tollit, & faciunt alacres in muliere viros. Membra expulſionis. Confortat renes, & coitum excitat. de quibus dicitur. efficiunt Veneris renes ad prælia fortes. Febres. Aiunt annihilare fortes, & tetras febres. Et quod valent hecticæ primæ, & ſecundæ ſpeciei: hoc credere mihi difficile eſt.

Neque illud prætерijt Vgulinus in ſuo de balneis libro, hæc enim huius notauit Iuncariæ balnei.

Aliud balneum vocant Iuncarię, iſtud animum lętificat, & omnia per ſe venientia ſuſpiria tollit, conſumptis multum prodeſt, omnes exiccationis cauſas remouet, pectus debile forte reddit, viſui confert, ſtomachum valde confortat, & febres omnes interpolatas annihilat, eſtque inter cætera ſaluberrimum balneum.

Ac item de eo accuratè loquutus fuit Mengus Fauęntinus, adiecto, vt Sauon. loco, quem in balneorum obtinet numero, ſcilicet quinto; nàm in ordine ab Alcadino, ſeruato, Iuncariæ balneo Sudatorium S. Germani, Balneum Bullæ, Aſtrunis, & Foris cryptæ præcedunt; ad huiuſmodi igitur ordinem reducenda eſt ſucceſſio balneorum quorumcumque, aliter eam ſubuertentium, autorum; ſunt itaque Fauentini verba.

Quintum balneum à Iuncare corrige, vt ſuprà *dictum, iuxtà litus maris poſitum eſt. Sauonarola tranſit ad effectus ſine minera. Membra nutrimenti: confortat ſtomachum, & hepar. Membra pectoris: pectus confortat: animum lætificat, & gaudia*

dia in eo inducit: ſuſpiria tollit: & facit alacres in muliere viros. Membra expulſionis: confortat renes: & coitum excitat, de quibus dicitur, efficiunt Veneris renes ad prælia fortes. Nos dicimus, quod ex effectibus minera eſt nitrum, & ferrum: & forte etiam participat de auro, vel de marchaſita auri.

Elyſius noſtrorum balneorum accuratus ſcriptor, ſiuè potius exactus Alcadini carminum proſaicus exſcriptor; eodem ſeruato ordine, de noſtro hęc habet Iuncarę balneo.

Vltra per arenam procedenti occurrit vnda Iuncaræ, quæ à iuncis ibi naſcentibus nomen habet. Hæc vnda mentem lętificat, gaudia fouet, tollit ſuſpiria vltro venientia. venerem prouocat, & ad eam fortes efficit, renes confortat, ſtomacho prodeſt & læſis luminibus. vires iecoris reparat, hepar ſanat, corpus impinguat, febres erraticas annihilat, & prouidet ne cutis extenuetur.

Franciſcus Lombardus in ſua ſynopſi ſuo loco Iuncaræ notauit balneum, Alcadini, Elyſijque additis traditionibus.

Bartholomæus Taurinenſis ſequentia protulit de noſtra lympha, verba.

Quintum de Iuncare pone ſicut ſuprà *dictum iuxtà littus maris poſitum eſt: ventriculum, & hepar roborat, cor & animum exhilarat, ſuſpiria tollit, gaudia inducit, & alacres homines reddit, renes roborat, & coitum excitat. Ferunt eius vſu febres curari, etiam vehementiſſimas, ac malignas, quin & heticas primæ, & ſecundę ſpeciei, quod*

creditu perdifficile eſt .

Tangitque quoque Franciottus ; at cum plagæ Balneoli aqua confundit , ſub huius nomine illam exarando : dum itaquè ſcribit .

Poſtea vero eſt illud de Giuncara, ſeù de Vincara dele vltimum , quæ ſubdit in Balneolo expecta .

Andreas Baccius ſub eadem , *Potulentæ in Puteolanis* rubrica , hoc Iuncaræ balneum poſt illud Foris cryptæ deſcribit , recto ſeruato ordine ; minimè verò notatorum ibi balneorum , loco ; ſunt eius verba . *Iuncaria porrò , quæ haud longè à crypta ad oram maritimam inter iuncos emanat, pariter ebibita impinguat: viribus nimirum non languidis , ac cibis boni ſucci exhibitis . Vnde, & Venerem iuuare dicitur , renes confortare, chronicas febres decernere .*

Noſter Capaccius , & deſcriptis nuper virtutibus , & non inerudita appendicula noſtram hanc decorauit vndam . Sic enim ait.

E caminando per l'arena ſi ritroua l'altro bagno detto Giuncara , cosi detto da i Giunchi, che vi naſcono , chiamato Deiuncara da Sauonarola, e Vincara da Franciotto , che conforta lo ſtomaco , e'l fecato gioua al petto , rallegra gli ſpiriti , toglie via i ſuſpiri , conforta le reni , eccita il coito, cagiona forze liete nelle donne, determina le febri croniche , con l'eſſer beuuta ingraſſa, ma non biſogna ſtar languido di forze . Giungono di più i medici , che queſt'acqua beuuta hà l'iſteſſa virtù , ch'anno Ficuncella , Grotta, Villa, Plaga, Gibberoſo, Porrettano, Albula,

Apo-

Apono, Paganello, Tritulo, Petra, S.Giorgio, Furnello, Succellaro, molti de i quali ſono in varij luochi d'Italia, & altri in Iſchia, & in Baia, di giouar quei, che vrinano ſangue, e di mandar via l'arenella dalla veſſica, e dalle reni. Nè ſi deuono marauigliare alcuni, dice il Baccio nel ſuo libro delle Terme, che l'acque medicate rompano la pietra vedendoſi, che molte di eſſe, e particolarmente quelle che ſono aluminoſe, e ferrigne, s'impietrano ne i luochi, per li quali paſſano; percioche appreſſo i Filoſofi non ſi fà, quodlibet ex quolibet, mà, determinatum ex determinato, talche ſopra la terra queſte acque generano la pietra; e beuute nel corpo humano la frangono. Non baſta, che così inſegna l'eſperienza.

Spinus Mons hic, vbi ſitum hoc balneum Iuncariæ eſt, incipit ſeſe eleuare; verùm tam placidè, vt eius incrementum vix ſenſus percipiat; propterea, cum ipſius lympha ſublimiori telluris mole, quam Foris cryptæ operiatur, ſitque Vulcani regiæ proximior, calorem ſecum fert mineræ, humano æqualem, vel paululùm remiſſiorem; ità vt in ipſa tunc è vena ſcaturiente gratiſſima ſit lauatio, exciteturque in animo gaudium vegetem indè abeunte, in cupidinem. *Color.*

Dum recens effluit, aliquid: ſed vix compræhéſibile ad nares promouet; dum verò extra venam frigeſcit penitus eſt inodora; ſortè quia virgineum ſablum, penitus limo expers meat, neque in cretam, vel cœnum impingit; vt illa Foris cryptæ; ac propterea nec omninò frigeſcit, nequè fermenteſcit, nequè aliquid eructat, cum ſimplex, per quam *Odor.*

fluit, arena, ipſius actionis non ſit ſubiectum.

Color. Oculis ſenſibilem, ad albedinem inclinantem, craſſitiem oſtendit, paululum illa Foris cryptæ craſſiorem.

Sapor. Calida vti effluit, frigefactaue ſi celeri hauſtu bibatur, nec palato, neque ſtomacho ingrata ſentitur; imò ſtomachum eius ex acceſſu, grato perfrui ſenſu, experitur; verùm ore diutiùs detenta, ſuæ mineræ vires exerit, & aliquid ſalſi, placidèque auſteri in lingua excitat, quod paulatim in ſuaue, & palato quid gratum degenerat; eſt quoquè hic notandum, quod ſi in his a quis, æs, ferrum, aliaque metalla ponantur, latitans in ipſis ſal, ab iniecti metalli ſulphure terminatur, accipiuntque ipſæ recepti metalli indolem, atque ſaporem, fiuntque Spadanis ſimiles.

Anatomia. Libram inieci vitro, ac placida ad euaporationem pruna cumpeli, primiſque aquæ motibus ſpiritus quidam mineralis nares validè ferijt, qui deſtillationis proceſſu euanuit; eleuata medietate, elapſas ſeruaui ſtillas, aliudque, reliquum ad recipiendum, vas ſuppoſui, ad contenti vſquè ſalis ſpiſſitatem: factoque deindè guſtus ſenſu periculo, inter mediam antè deſtillatam libram, ac poſtremam, nullam animaduerterè ſenſibilem potui differentiam: vtraque quodam erat ſapore prædita; verùm non acido, vel auſtero, aut ſalſo; ſed palato ſubdulci, linguæq; grato, nullamque quidem nauſeę, diſplicentiæue notam illius relinquens: ſalis deindè portio in vaſe reſidua eaſdem omninò proprietates, ac illud Foris

ris cryptæ aquæ,retinebat, præter quantitatem; nam vbi ex illius vnciam ferè mediam, ex huius vix drachmæ collegimus medictatem;vndè conieci huius balnei lympham, inter virgineam emanãtem arenam,(quia obiecto caruit,in quod contentum in ea sal,agendo, exantlaretur, fixamque acquireret indolem) sal suæ mineræ, ab omni labe alienum,in volatili sua natura seruare;virgineum enim sabulum nequicquam à salium spiritibus patitur,neque ipsi ab eo patiuntur;sed reciproca permixtione vtrique in propria consistunt substantia. Itaq;hanc Iuncaræ aquam,salem,quem ex fermento in minera recepit,purum,atq; volatilem, secum intrinsecùs permixtum,immutatum asseruare comperimus, ac in distillatione simul ascendere cum ipsius vapore;cumque penès vtentes,in volatilibus salibus summa eluceat medendi energia, miraque vis diaphoretica experiatur; perfacilè erit intelligere,huius aquæ potum ea in corporibus efficere, quæ fuere à veteribus obseruata, & annotata; diaphoresi enim in illis sollicitata,bonus habitus,hilaritas, virium refectio, quæque hæc subsequuntur, continuò eueniunt:magni ergo facienda hęc aqua; nam cum ipse consumpto cuidam dupondium hoc anno potare consulerim; bonum paulatim acquisiuit habitum,fuitque sanitati restitutus;eiusque externum vsum non parum laudo, cum vim diaphoreticam in membris,vel debilem, vel abolitam mirum in modum promouere possit, ob contenti volatilis salis efficaciam,summè penetrantem, atq; maximè nostris spiritibus sociabilem.

Mengum interim corrige Fauentinum ferrum aurum,vel auri marcheſitam,& vnumquemque cęca coniectura metalla Iuncariæ in lympha contineri,aſſerentem, cum ne metalli quidem ſignum in anatome appareat; quod ſi ab effectibus id coniecere,ſcire debebant, ſalium efficaciam volatilium longè auri,argenti,cæterorumque excellere metallorum viribus:dummodò volatilem in eſſentiam hæc redacta non fuerint.

BALNEVM BALNEOLI.

A Iuncariæ balneo ſi rectam viam per littus proſequeris,400. poſt paſſus balneum Balneoli,à dextra reperies;*Balneolum* dictum fuit vulgò *lo Bagnuolo* ex fontis breuitate,atque anguſtia; ab eoq; denominationem tota illa deſumpſit plaga;dictum quoque fuit Balneum Plagæ, vbi enim manat arenoſus eſt, planus, ac mari proximus locus:apud Sauonarolam,& Taurinenſem ſub nomine quoquè *loci* notatur,apudq;Mengum Balneum inſcribitur *Fontis*, at admodum inconſideratè, vt infrà notabimus: apud noſtrorum autorum ordinem ſextum hoc balneum eſt;vndè cum rectè apud Mengum,cęteri qui illum non ſeruarunt, ad illum ſunt reducendi: eſt notandum hoc primum eſſe balneum, quod ſub Olibani montis rupe fluit; à parte enim ſuperiori balnei Orientem verſus vallis deſcendit, quæ Montis Spini cliuum, & Olibani dirimit,res eſt admiratione digna, Spinum ab Orientali vallis parte totum,vt diximus,fructiferum,

arbo-

arboribuſque refertiſſimum conſpici; cum Olibanus altera ab Occidentali parte ſcaber, incultus, aridus, omniſque ferè plantę expers appareat. Hoc balneum ſummæ venerationis apud Neapolitanos antiquitus fuit; vt illius, cum minimè de alijs omnibus, hactenus ſuperſtes eſſet memoria; licet decem retrò per annos omninò iam ab vſu receſſiſſet; erat ad illud, vti nunc quoq; eſt, cuiuſdã domus per atriũ ingreſſus, contigui ruris colonis hoſpitandis extructæ; tria habebat mediterranea cubicula anguſta, vetuſtaque, à quibus per gradus quindecim in puteum veluti deſcendebatur, vbi in effoſſo monte aqua balnei colligebatur, eratque ranis, alijſq; immunditijs putens: fuit noſtræ curæ vt vſque ad aquæ profunditatem, antè balnei ædificia, excauaretur atrium, obductoque deindè fornice, medio pariete facta diuiſio fuit; vt parte altera mulieres, viri altera commodè vterentur; ab vna alteraque parte in balnei fontem aditus, ac in vtraque ad facilem commodumque vſum lauacrorum diſpoſita multitudo; indequè ductus ad mare vſque exiguus fornix, vt inutilis aqua præceps excurreret; ab his lauacrorum locis, quæ dum balnei aqua perfunduntur, caldariorum antiquorum vices gerunt, paucos per gradus ad quatuor cubicula ſcanditur; vbi balnei vaporum elatione tepeſcit aer, circumque eorum parietes, pro ſternendis ſtragulis, cœmento ſunt lectuli è plano eleuati, vt lota corpora, ibi ad quietem ſe opportunè componant, communiſque ambientis temperiem acquirant; ex his quoque cubiculis duplex in atrium exitus, ianuis munitus; vt

qui intus balneo vtitur, clausa retrò ianua, ingredientium importunitatem auertat; ac huiusmodi commoditatibus fuit vlui *Balneoli* lauacrum, siuè *Plagæ* restitutum, de quò primus his carminibus Alcadinus scripsit.

Inter aquas pelagi prope littus sub pede rupis
Magnus in effectu fons, breue nomen habet.
Balneolum dictum, tantæ virtutis amicum,
Vt patiens illic sentiat esse Deum.
Nam morbo quocumque dolet, seu rheumate quouis,
Lotus aqua tali tempore liber abit.
Et caput, & stomachum, renes, & cætera membra
Confortat, tepidam si renouabis aquam.
Hæc prodest oculis, oculorum nube fugata,
Consumptos reficit. quos tenet aegra fames.
Materiamque rudem consumit, & amphimerinen,
Hoc gens plus alijs Parthenopensis amat.

De quibus noster Lombardus, annotando, cum prius Eustasio tribuerit ex Matera.

Inter aquas. hi versus adscripti sunt Alcadino, & non Eustasio; vt apparet in opere illo de Balneis, quod apud Iuntas excusum est anno 1553. nec non in codice manuscripto Bibliothecę superadictæ (hæc est *venerabilis* vtor Lombardi verbis *Monasterij S. Seuerini de Neapoli*) *quid iudicem, ignoro, sed* (*vt Themist. verbis vtar*) *sit monstrasse satis.*

Vt patiens. Lotus. hi duo versiculi citantur à Sauonarol.

Nam mor. aliter sic, de morbo quocumque doles, seu caumate quouis, Lotus aqua tali corpore liber eris.

Ma-

Materiamque aliter ſic apud Iuntas, Materiam tritei conſumit, ſed cum in hac dictione ſit diphtongus, quę producitur à Martiali in 2. epi. 91. & Macro in 5. c. 7. ideò verſiculum hunc ſic commodius reſtitui, Conſumitque tritæi hylen, ac amphimerinen.

Amphimerinam, vox hæc quoniam græcè ſcribitur διὰ τριῶν. habet ſecundam productam: ſed gratia metri hic, & cap. 46. corripitur. de hac febre Gal. 1. de criſi capit. 17. 2. de diff. febr. capit. 8. & alibi ſæpiùs.

Parthenopenſis. ſic. aliter, Plus alijs genus hoc Parthenopæus amat; ego verò ſic legerem, Plus alijs hoc gens Parthenopæa fouet. fouere enim apud Maronem in bucolicis, habere ſignificat.

Ac ſcripſit quoque de eo Ioannes Villanus vernacula in ſua Neapolitana chronica hunc in modum.

Se ancora anderai oltra per l' arena, trouarai vno bagnio detto Bagniolo, queſto ſo ſi chiamato dalla pauciià della fonte; ma tanta, & la virtù, & efficacia ſua oltra li altri che l'infermo ſente grande adiuto: perche queſta acqua lo capo: lo ſtomaco: le rene, & tutti li altri membri conforta cazia le nebule dalli ochij fortificali debili: queſta, e la materia de la quartana continua febre: libera da li dolori procedenti da ogni infirmitate: ò febre libera; li Napolitani vſano queſta aqua più che niuna altra.

In exarato codice anni 1300. humanę figuræ in hoc conſpiciuntur balneo depictæ, quarum vna

ventriculum,frontis altera partem, capitis verticē tertia, & pedem digitis ſignant, quarta tabidum, marcidumque oſtendit corpus;quinta mulier, quæ puerulum in aqua ſuſtentat merſum, eſt; leguntur que in notis admirabiles balnei huius virtutes, eiuſq;placidam operationem,& ad puerolos aptā, vteroque gerentes eſſe.

Eſt & noſtri Balneoli apud Sauonarolam notatio ſub nomine *Loci*;corruptè enim Alcadini legit in verſu *locus* pro *lotus*,balneiq; cęcè facit nomen: vt videre eſt his ipſius periodis; omnes itaque Alcadini, quos ponit, alijs quoque mendis refertos verſus,vt ſuprà, expurga.

Balneum Locus ſubſtitue (*Balneoli*)*eſt apud littus maris: eſt enim fons paruus,& viribus amplus. De quo ſcribitur.De morbo quocumq; dolore,ſeù grauitate quauis, Locus aqua tali tempore liberabis. Membra capitis.Confert oculorum obſcuritati,& caligini,& cataractæ.Confortat caput,& catarrho ſubuenit.Membra nutrimenti.Confortat ſtomachum,& eius digeſtiuam.Membra expulſionis.Confortat renes,conſumptos reficit,& multa operatur auditu miranda.Et ideò Neapolitani hoc prę cæteris diligunt, quo ſcribitur.Vt patiens illic ſe credat eſſe Deum. Eſt enim aqua ſuauis,tepida, & corpori multum grata.*

Meminit,& Vgulinus his verbis, alterius alteri tribuendo vires, ſub vitiato nomine Foris cryptæ errorem notauimus ſuprà.

*Aliud eſt balneum quod de Foris ſcripta nominatur,& non eſt balneoli de quo ſuprà diximus.*dele om-

ōmnia præter *aliud eſt balneum, & balneoli*, quæ ſimul diſpone, *Iſtud capitis paſſiones; & ſingulariter hemicraneam, & dolorem ſupercilÿ remouet, nubem, & caliginem oculorum tollit, ſanguinemque oculorum, & panniculum ibi generatum remouet, oppilationes aurium aperit, & illarum tinnitum curat, & ſanat.*

Eſt apud Mengum huius balnei rubrica; *De ſexto balneo Fontis*, verumq; ſubticet nomen Balneoli, & Plagæ: ipſum tamen ponit in ordine, ſextum; cuiuſmodi apud noſtros eſt autores; apud quorum deſcriptiones cum legiſſet, quod *Fons* erat paruus, temerè verbum hoc ipſius nomen fecit; vt apertè conijcitur ex his, quę ſubiunxit verbis, quæ noſtro conueniunt Balneolo.

De ſexto balneo, quod eſt Fons paruus, ſed viribus amplus apud litus maris: dicit Sauonarola, de quo ſcribitur de quocunque morbo, & de quocunque dolore, ſiuè grauitate quauis, aqua tali liberaberis. Mẽbra capitis: confert oculorum obſcuritati, & caligini, & catarhactæ: confortat caput, & catarrho ſubuenit. Membra nutrimenti: confortat ſtomachum, & eius digeſtiuam.

Membra expulſionis: renes conſumptos reficit: & multa operatur auditu miranda: & ideò Neapolitani hoc præ cęteris diligunt, de quo ſcribitur.

Vt patiens illic ſe credat eſſe Deum: eſt enim aqua ſuauis, & corpori multum grata. Corrige verſum, vt Alcadinus.

Nos miramur, quod nihil dicat de minera. Nos autem dicimus, quod tenet de alumine, ære, & ferro.

Sunt

Sunt quoq; apud Franciottum huius balnei notæ huiusmodi. *Deinde est aliud, Balneolum dictum, quia paruum est*: verum huius uires continuo posteà falsò Puncaræ tribuit, vt suprà notauimus balneo; undè suo uerò restituimus loco. *Quod iuxta littus maris residet: & est fons paruus, sed viribus amplus, & Neapolitani illud præ cæteris non immerito diligunt, & tanquam Deum colunt: cuius aqua tepida, corporique valde grata est.* Signandum, autorem hunc, dum nostra describit balnea, Puteolis Neapolim ire uersus; ideoque hæc ultimo sunt loco, quæ nunc nos exaramus.

Elysius noster, de Balneolo sic in prosam Alcadini carmina, uertit.

Si adhuc per arenam processeris, balneolum inuenies. hoc nomen olim à breuitate fontis inuenit. Sed tanta est virtutis efficacia, & eius præstantia, vt infirmus non solum aquam ibi, sed Deum adesse putet. Nam caput, stomachum, renes, & cætera membra confortat, fugat nebulam oculorum, consumptos, & debilitatos reficit. Materiam quartanæ, continuę, & quotidanæ destruit. à doloribus ex quocunq; morbo, vel febre procedentibus liberat. hac aqua Neapolitani plus cæteris vtuntur.

Bartholomæus Taurinensis à Sauonarola balneoli nostri nomen mutuatus fuit; indigitatur enim apud illum *Locus*; hoc corrige, cætera Balneolo adamussim conueniunt, quę ita subdit.

Aliud est iuxtà littus maris locus appellatum, fons est paruus, sed viribus ingens adeo, vt de eo literarum monumentis proditum sit, à quocunque

mor-

morbo, à quouis dolore, à quà voles anguſtia, loci aquam liberare: Capiti oculorum fluxionibus, caligini, ſuffuſioni, ventriculi coctioni, & renibus conſumptis ſubuenit. Et multa alia operatur auditu miranda, vnde Neapolitani hoc præ cęteris colunt, & extollunt. Porro prętereundum non eſt, quod de balneantibus ſic ſcribitur, vt patiens illic ſe credat eſſe Deum. Expurga hic quoq; verſum. *Eſt enim aqua ſuauis, & tepida, & corpori multum grata.*

Franciſcus Lombardus aliam prędictis viribus ex Altomaro, addit.

Hinc celeberrimus, æquè ac diſertiſſimus (adſit verò reuerentia) præceptor meus Donatus Antonius ab Altomari in ſua admirabili Arte Medica (quæ anno elapſo Typis Venetijs fuit excuſa) nimis commendat balneum hoc in Gonorrhęa.

Andreas Baccius prętęrquamquod in Puteolano falsè ſimul cum prędecentibus balneum hoc locauit; ordinem quoque ipſius ſubuertit, nam ſubſequi Petrę balneum, Sanctęque Anaſtaſię præire, ſcripſit; poſtquam enim de Balneo Petrę mentionem faceret, hęc de Balneolo ſubiunxit.

Proximus huic, nec virtute diſſimilis fons Plaga: Multo autem vſui hodie eſt Neapolitanis Balneolum: ſanè ob prędclaras vitutes, quibus viſcera roborat, & caput, & ſenſoria omnia. Et quod maius eſt, omnem chronicarum febrium materiam paucorum dierum potionibus diſpergit.

Ab antiquorum traditionibus de admirandis Balneoli noſtri virtutibus, ad eius tranſeamus aquę examen, vt ad eas pręſtandas efficaciſſimas eſſe irrefra-

fragabili demonſtratione confirmemus;lympha huius balnei,cũ è tellure erumpit, duobus caloris gradibus illam Iuncariæ ſuperat: ea enim vix non frigida ſentitur;ſed hęc noſtrũ ſenſum aperto calore ſolicitat:ita vt qui ea vtuntur,poſt pauca momenta ſudore madeãt; id etiã thermometro,quod infra proponã,cõſtabit,causãq;cõijcere erit facile, ſi vtriuſq; balnei ſitum perpendamus; quippe manat Iuncaræ balneum in plana humilique tellure â qua faciliter calor effluit ; Balneoli vero latex ſub alta rupe ſurgentis Olibani effoſſus,integrum ſeruat ſue mineræ Vulcanum,qui cum ſalis volatilis indolẽ prę ſeferat,& à montis materia ad actionem non concitetur; perſeuerans informa volatili vſque in balnei fontem , ibi etiam in ſuo calore per ſeuerat;ſecus res euenit in aqua Iuncaræ cuius volatilis ſpiritus in vdæ telluris heterogeneas partes impingens, agendo figitur, & calor, qui motu partium volatilis ſalis in minera vigebat, ipſarum fixione in tellure tepeſcit.

Calor.

Color. Tenuior hæc Balneoli lympha , illa Iuncariæ oculo apparet , nequæ illius præſefert albedinem ; fortè ex ijſdem rationibus, quas ad caloris exceſsũ retulimus demonſtrandum , cum enim ſal figitur volatile,craſſeſcit, albeſcentemque in aqua producit colorem .

Odor. Cum intrinſeco ſuo calore balneoli huius aqua caleſcit,vel proprio in fonte vel indè tranſlata , aliquid mineralis eructat , quod pauxillulum vix nares mouet;dum deindè frigefacta eſt , nil huiuſmodi in ijs excitat.

Quia

Quia verò, quod fouet, ſal in ſua originali volatili perſiſtit eſſentia, palato vix admota, ſalſedinis ſenſum mouet; celerius, vehementiuſque tamen dum proprio calet calore, quā dum friget; ac quāuis linguam, & ventriculum ad nauſeam non prouocet; grata tamen ſuauique illa Iuncariæ dulcedine omninò caret; fortaſſe quia volatilis ſalis particulæ ventriculum nimia adoriuntur velocitate qui celeri illo excitamento minimè gaudet; ſecus in Iuncara, vbi propter aliquarum partium ſequutam ſui ſalis fixionem, haud ità generosè mouentur, mitioremque ſenſum excitant. *Sapor.*

Tandem aliarum aquarum more, huius balneoli aquæ libram diſtillandam inieci vitro, ac præſtò fuit, primis ab igne motibus, mineralis ille ſpiritus, quamuis leuis, vaſis ad os naribus admotis tantùm perceptibilis; in deſtillatis primis vncijs nil, quod eſſet à reliquis diſtinctum, percepi, ſed in omnibus volatilium aporrheæ contentorum ſalium liquidò ſentiebantur; ſuauiori tamen impreſſione, quam antè aquæ deſtillationem; nil acidi, nil auſteri, nil ſalſi; ſed quid ſubdulce imprimentibus: peracta diſtillatione, vix ſalis fuit reſidua drachma, eundem coagulationis modum nacta, ac Foris cryptæ aquę, atque Iuncariæ: primò linguæ tactu lixiuij illum *alKalium* preſeferebat ſaporem; ſalis deindè marini guſtum excitabat, perſeuerabatque ſine amarore eo, quem in vtroque præcedentium balneorum notauimus: hoc vnum ſingulare in hoc ſale animaduerti, quod, ſcilicet, caloris vi exiccato, ſi à caloris remouebatur vicinitate, ſuſcepta ſtatim

ab

ab ambiente aere humiditate in muriam iterum tenuabatur, quod ſemel examinatorum balneorum ſale exiccato, id non euenit: pendet id caloris ex exceſſu, quo exploratas in præcedentibus lymphas aqua balneoli ſuperat; exiſtimaui etenim, quod ſicut vegetantium *alkalia*, quo magis igne torrentur, eò celeriùs humidi ambientis acceſſu fluunt, vt in calcinato vini tartaro obſeruamus; ità ſalis particulæ huius aquæ, quę caloris actione priùs, ac deindè deſtillationis bullitione, *alkalizantur* (vt ſpagyrico vtar verbo) *aklalium* aſſumunt indolem, fiuntque exhalantis capaces humiditatis, ex cuius acceſſu veluti oleoſum in liquorem abire minimè deſinunt. Occaſione hac notare hic non præteream, quod ſicut in vegetantibus, antequam in cinerem abeant, nullum eſt actuale ſal alkali; ſed quidquid vegetans omne conſtituit ſub forma manet concreti, qua ignis aduentu ex proprij ſulphuris colliquatione pro aliqua ſui parte fixatur in alkali; ità quoque thermales aquæ antè earum diſtillationes, fixo omninò carere alkali exiſtimo, ac quicquid ſalis poſt deſtillationem relinquunt ſulphurei ſpiritus, qui deſtillationis feruore craſeſcit in illis gliſcere ſub forma fixumque abit in alkali: pendent itaque harum aquarum virtutes, in prædictis contumacibus debellandis morbis, ex con tenti ſalis volatilis energia, quę ægrotorum corporum diaphereſin, vel impeditam promouet, vel ſiſtit furioſam; vtrumque enim, dum immutatur, vt latius alibi, perficere efficaciter poteſt.

Legimus in allatis antiquorum traditionibus, tan-

tantam habuiſſe huius Balneoli vſum in morbis curandis energiam, vt Deum, naturalibus ſpretis cauſis, ibi crederent eſſe, qui diuinę potius munificentiæ vi, quam ipſarum concurſu, morborum non paucorum rabiem deuinceret ſeuientem; ac in poſteros fluxere deindè mirifici non ſolum balnei traditiones iſtæ; at paſſim ex vſu experimenta quoquè; ità vt non deſint grandæui in Vrbe homines, qui ex huius balnei vſu maiora, quam quæ ab antiquis traduntur, miracula ſua ſe vidiſſe acerba teſtentur, ætate: ac rebellium ſeuitie morborum ſæpiſſimè afflictos, deperditum iam Balneoli vſum, præſentaneumque leuamen lacrymaſſe conciues: reſtituto iam itaquè Balneolo, eadem nunc præſtanda fides, atque non minus, vt antiquitus, Neapolitanis illius frequentandus eſt vſus; non ſolum quia ex vicinitate omnibus, tam mari, quam terra vectis, preſtò eſt; ſed enim ex innumeris vt ità dicam, miraculis, quæ ab hoc balneo recenter reſtituto in morborum curatione, ſumma cum noſtra delectatione, ſumus experti, quorum hiſtoriam aliquorum hic haud recenſere pigebit.

Princeps Sancti Buoni ex magna Caracciolorum Proſapia, Regni dynaſtes; vt heroicę indolis exſuperis ſortitus eſt animum; ità ſui corporis imbecilla, ex tabido fortè contaminata genitore, generationis adſciuit principia; infantiam propterea, adoleſcentiamque valetudinariè tranſegit, tanta organorum gracilitate, vt duobus retrò annis circa ætatis ſuæ decimum nonum Magna cum Heroina

roina Ioanna Caracciolo matrimonio coniunctus, de prole pro huius, de omnibus benemeritæ Domus perpetuitate, ambigeretur; vlus iam erat, vt aliquid corporis, roborisque adipiſceretur pro medentum cupidinibus remediorum myriadibus; at extrà beneficium: anno elapſo cum reſtituti iàm Balneoli multoties perfunderetur aqua; adeò vegetum ſenſit corpus, tantaque fuit carne, atque robore adauctus, vt præter aſpectus immutationem, quam omnes mirabantur, ex Principis Vxoris abortu futuram prolem non amplius in dubiũ verteretur; currenti deindè anno ſecuriori, largiorique animo prolixius balnei frequentauit vſum, atque adiutus eò eſt, vt ſuæ ætatis iuuenibus roboris, habituſque non habeat, iu quo inuideat corporis; ſuſcepitq; iam ex Principe Vxore deficientis illuſtris ſuæ proſapiæ germen.

Eleonora Vallis Boſchi Princeps Loffredorum Maidenſium, Daualorumque Propago, Alphonſi Principis Piccolomini vxor; inter ſeculi matronas, forma, & animi dotibus nulli planè ſecunda; elapſo anno vtero gerens; cum inter venandum violento veheretur ab equo, vterus apertus eſt, atq; vix bimeſtrem eiecit fœtum; puerperio fluente ad venationem redijt; ſuppreſſus eſt indè fluor, fuitq; acuto correpta morbo; conualuit demum; ſed ſanguinis profluuio ex vtero inaniri cœpit, lipothymijs comitantibus, malo corporis habitu, artuum doloribus, vigilijs, ingeſtorumque ciborum nidoribus: tot morbi multis iam inuaſi remedijs, pertinaciſſimè perſeuerabant, poſtremò poſtquam decies

cies Balneoli noſtri in aqua ſe merſerat, perfectiſſimè curata permanſit.

Epiſcopus Tricaricenſis Caraſa, cum hypocondriorum affectibus, capitiſque imbecillitate vexaretur; huius balnei vſu ex vtraque conualuit inualetudine.

Similique multis annis morbo vexatus Pater Bonuinus ex Societate Ieſu; cum nunquam prius aliorum remediorum efficacia aliquod perſenſiſſet leuamen; balnei huius vſu ſe prẽter expectationem adiutum ſummopere ſenſit.

Tandem non prætercam hic, tam medicis, quã ægrotis circà huius balnei conſulere vſum; Puteolanorum vt mercenariorum, Neapolim balneorum aquas vehentium fidei ſeſe non committant: iniquiſſima enim gentium, in fraude delectatur, atque vnam Subueni homini aquam, vti calidiorem omnibus ſubſtituit balneis; nec ſuffragatur, vt ægrotorum famuli illis aſſiſtant; vulpina enim verſutia, qua callidiſſimi ſunt facillimè illos decipiunt; vt non prætercam quoquè tali temperie Balneoli hanc aquam, dum è ſua emergit, eſſe, vena, vt indè educta facilè ab ea declinet; ità vt quos illi attribuunt, minus integrè operetur effectus; huius aquæ potus progreſſu non minus facili notatis medetur affectibus, corpus mediocriter ſoluit trium librarum pondere ingeſto.

B B L N E V M P E T R Æ.

PEtrę, Balneolo, poſt viæ ſpatium paſſuum 30. à ſiniſtra ſuccedit balneum, cuius antiquus

fons in crypta in littore adaperta,ac viam ſubter, montem excauata verſus,latebat,integrum cryptę fornicem arena occupante; verum quia admirabiles ſemper huius aquæ vſus produxit effectus; nec memoria,neque vſus omninò pericrant; ac ab occupante licet arena vetuſtum in fontem prohiberetur ingreſſus; in cryptæ ore propè vndam ex excauata fouea balnei effluebat lympha, eaque, & in eadem fouea,& in proprias domus tranſuecta, vtiliter vtebantur; nec amplius de vetuſto fonte, neque de repurganda ex eo arena vlli vnquam curæ fuit; poſtremò dum balneorum venabamur loca, vix paucos per palmos in cryptam apparebat aditus,indeque paulatim arenam ſubtrahendo,cryptam in monte reperi effoſſam, longitudinis pedum 60.latitudinis decem, altitudiniſque duodecim,in cuius fundo receptaculum erat balnei in monte effoſſum, atque hinc, ac illinc in lateribus cęmentitia aliqua lauacra:his omnibus ad ſuperficiem vſq, explanatis, in hanc, quam ſubdo formam balneum reſtitui:è cryptæ medio, per eius longitudinem,vt paries erigeretur curaui, qui fornicis ad ſuperficiem pertingeret;vt non ſolum cryptæ latitudinem æqualiter ſecaret; ſed vt fulcrum quoquè fornici eſſet;nè (ſub via obducto)ob tranſeuntium motum corrueret; eius in ſolo tribus ſub ſuperficie aquæ palmis effodiendum curaui pro ea receptaculum,atque ſex ſe extendens in illius longitudine palmis, poſtque illud ſex deinceps cæmento obducta lauacra alterutra adiunxi in parte, ab quorum extremo ſeptem adhuc cæmentitia

vtrin-

vtrinquè ſtrata, trium palmorum latitudinis, ſeptemque longitudinis exili diſcreta pariete ad os vſquè ſequuntur cryptæ; ac huiuſmodi diſpoſitio notata in loci anguſtia commodiſſimum exhibet viris ſeparatum, ac mulieribus balneum; ducente ad illud ſemita inter mediũm parietem, & ſtrata relicta trium palmorum: vapor hic ab aqua aſcendens vtramq; adeò balnei excalfacit partem, vt breui temporis ſpatio ibi degentibus ſudor erumpat. antè cryptæ oſtium fluctuum, vt impediretur ingreſſus, conſtans erectus eſt paries, atque per lenes gradus à ſuperextructa via, eſt in cryptæ ſolum deſcenſus.

Apud authores omnes Petræ nomen hoc retinuit balneũ; ex eo quia inter miras eius virtutes, ea præſtantiſſima erat, quæ à renibus, & veſica lapides, calculos, & arenulas celerrimè deturbabat, ſiue in eius aqua ſe mergerent calculoſi, ſiue eiuſdem potu vterentur; apud Alcadinum, alioſq; neveteres noſtros ſeptimum eſt in ordine, cui aliorum traditiones ſunt accomodandæ, extantque huiuſmodi eius carmina:

Cui petra dat nomen mirum reor eſſe lauacrum
Quod lapidem poſſit frangere nomen habet.
Et caput à multis facit abſentare querelis,
Auribus auditum præſtat, & addit opem.
Lumina detergit tunicis maculoſa piatis,
Pectoris, & cordis eſſe medela poteſt.
Veſicas aperit, de renibus vrget arenam,
Interiora lauat potus, & huius aquæ.
Quamplures vidi calida potare petroſos,

Queis vrina fuit post lapidosa satis.
Vos igitur, quibus est durus cum pondere venter,
Liberat assiduè potio talis aquæ.

Quæ, noster Lombardus, Eustasi de Matera esse existimat, eaque ita corrigit.

Cui petra. hi versus adscribuntur etiam Alcadino.
Et caput. sic, infestos capiti solet hoc arcerè dolores.
Tunicis. sic, nebulis maculosa fugatis.
De renibus. nos sic restituimus, rencs expurgas arena
Venter. sic cum pondere mictus.
Liberat. sic, Assiduus talis liberat vsus aquæ.

In veteri codice calamo exarato depictum hoc balneum est, in eoque quinque hominum expressę figuræ; quarum prima ad scapulas vsquè in balneo mersa, manibus designat pubem; digito secunda caput ostendit; tertia dexteræ digitum in oculos, sinistra peluim aquæ plenàm eleuat, caputque perfundit; amplo quarta vasè aquam potat, ac de pene exeuntes ostendit calculos; quinta in balneo mersa, capitis digito signat verticem, fistulamque ore tenet, quasi sonitum, vel susurrum exprimere velit: præterea omnium circa capitis, renum, vesicæque affectuum curationem, tam de potu, quam externo de huius lymphæ vsu, mirabilia dicto leguntur in Codice.

Ioannes Villanus de hac lympha hunc edidit sermonem.

Sequita lo bagno de la Petra: lo quale, e posto in fine de questo loco sotto la ripa del monte appresso la marina: haue lo nome per lo effecto suo, perche rompe la Petra: prouoca la vrina: monda li rini:

mena

mena fuora la renella libera lo capo da li dolori:laua le macule da li ochij:dona lo audire alle orechie: remoueil ſonito:medica lo core, e lo pecto,el beuere de queſta acqua calda monda li interiori.

Huncque Sauonarola.

Reliquum Petra dictum: quoniam petram frangit. Membra capitis. Omnes capitis querelas depellit,ſurditati ſubuenit, caligini oculorum, & cataractæ. Membra pectoris.Confortat pectus,& cor: aperit vrinæ vias miro modo:vt ſic ab eis expellat arenulas,& lapidem in eis genitum frangit cum calida potata fuerit.

Nec ſilentio Vgulinus committit, ſcribendo.

Aliud eſt balneum, quod vocatur de Petra, id à multis paſſionibus caput liberat,auribus preſtat auditum,abſtergit oculos, & eorum ſcabiem curat,cordi quoque,& pectori medicinam præbet, renum lapidem frangit,arenam curat,veſicam aperit,& vrinæ difficultatem remouet.

Mengus Fauentinus octauum in ſerie hoc ponit balneum, vt ſuprà ideò corrige, dum nos eius ſubdimus verba.

Octauum balneum,quod dicitur Petra, quoniam frangit Petram. Membra capitis; omnes paſſiones capitis expellit,ſurditati ſubuenit,caligini oculorum & catarhactę. Membra pectoris: confortat pectus, & cor:aperit vias vrinæ, ſic vt expellat arenulas, & lapidem in eis genitum frangat, cum calida potata fuerit.Nos dicimus,quod iſti effectus ſimiliter reducuntur in nitrum tanquam in cauſam: quare nitrum eſt minera eius.

Franciottus breuiſſimè tangit, ità excurrendo. *Sub eodem etiam monte eſt illud quod Petra dicitur: quia lapidem frangit.*

Noſter ſuo more Elyſius ſic proſę præbet Poetę numeros.

De Petra lauacrum ſequitur, quod in fine huius littoris ſub rupe montis poſitum ab effectu conſecutum eſt nomen; nam petram frangit, vrinam prouocat, renes mundat, educit arenulas, caput à doloribus liberat, detergit ab oculis maculam auditum auribus præſtat, & ſonitum remouet, cordi, pectorique medetur. huius aquæ calidus potus interiora mundat.

Neque Bartholomæus Taurinenſis hac vnda voluit ſuum carere libellum; his enim verbis ibi complectitur.

Aliud eſt Petra dictum, quoniam petram hoc eſt calculum frangit, omnes capitis moleſtias propellit, ſurditati, oculorum caligini, ſuffuſioni ſuccurrit: pectus & corroborat, vrinæ meatus aperit, arenulas eijcit, lapidem, ſi calida bibatur frangit.

Andreas Baccius, licet ſub eadem adulterina rubrica, perbellè noſtram dat literis lymphamjat fallitur quoque in eo, quod æris portionem in ipſa contineri conijcit quod clarius infra.

Quæ verò à Petra cognomentum habet, hanc ſibi prę cæteris mirandam prerogatiuam vindicare viſa eſt, quod arenulas ebibita pellit, & calculos confringit. Partium valdè ſubtilium, ex aliqua æris portione cum nitro, quam ob rem oculorum caligini, ſuffuſionibuſque auxiliatur.

Foris cryptæ lympha actu friget notabili à Vulcanis

canis diſtantia,& telluris humilitate, qua tegitur; tepet illa Iuncarię, quia Vulcanis proximior, & quia altiori contegitur ſolo; calet illa Balneoli vix viuentium ſuprà calorem, & quia Vulcanis proximior aliquantulum, & quia eminentem, licet pumiceam,ac mollem,montis rupem,effluendo,tranſeat.Calidioré prætereà hanc Petræ balnei ſentimus lympham,cum è duro fluat ſaxo, durumque ſuper,ac peraltum habeat montem, quod efficit, vt conceptus non effluat in aqua calor,& vt contenti in ea originalem ſales ſeruent indolem; cum nulla aut debilis in montis materiam illorum ſit actio; hic,quem hæc lympha fouet, calor, adeò viget, vt è vena ipſam emergentem in vapores tenuet, qui balnei excalfacientes locum,ſudorem ibi degentibus excitant ex corporibus, quæ proprio in fonte hoc vtuntur balneo, eum quoque profuſum egerunt,vixque ſuprà horæ medietatem tolerare illos poſſunt, cuius caloris graduum exactas differentias,thermometro emenſas, paulò poſt in Calaturę balneo trademus. *Calor.*

Huius balnei aquæ color à ſimplici aliquanti- *Color.*
ſper aquæ perſpicuitate ad albedinem declinat, illo Balneoli paululum craſſior, ſalis ob abundantiam,qua illi præpollet, eſtque quodammodo colori aquæ Inncariæ ſimilis.

Vbi hæc lympha è vena emergit, qui eleuatur indè halitus,ſulphuris odorem præſefert, quo vndique cryptæ ſpatium perfunditur; atque indè aſportata, non ſolum dum intimo feruet calore; ſed frigefacta quoq;cundē ſulphuris odorem eructat. *Odor.*

Potus huius aquæ, vti è vena effluit, quo innumeri hoc anno ſaluberrime uſi ſunt; caloris ob exuperantiam, mineræ ipſius ſaporem exprimere experitur; ſed ſi tepida, uel omninò ſine originali calore ſit hauſta: extẽplo ſui ex prompta alacritate ſaporis palatum ferit, & linguam; id quod primò imprimit, tenuati in fumum, ac ab aqua ebibitum, ſulphuris ſaporis indolem exprimit; ſed dum reſoluti acrimoniam ſulphuris perſeuerare credis, marini ſalis in ſenſu diffunditur ſalſedo; ità ut, cum nauſeæ aliquid concitare primus ſulphuris ſapor uideatur, à continuò ſuperueniente ſalis marini ſapore, nauſea in quid tale guſtui pergratum commutatur, eoſdemq; in ſtomacho, ac in palato producit effectus. *Sapor.*

Vitro deindè aquę libram inieci, atque aliarum more eam deſtillandam curaui; uehementior ex hac, quam ex alijs ſpiritus ille ſulphureus effluxit; primæ deſtillationis ſtillę ſpeciali aliqua qualitate, à medijs, ac poſtremis minimè diſtinguebãtur; ſed tota deſtillata lympha acidulum prę ſeferebat ſaporem. neque ſulphuris indolem penitus depoſuerat, conſtabatque ex colore, ſaporeque plus ſalis ſpiritus ex hac aqua, quam è cęteris auolaſſe; nam ſaporis energia, qua cęteris, non iam deſtillata hęc aqua præpollebat: ſalem cœteris vberiorem fouere oſtendebat; verumtamen ſal à deſtillatione reſiduũ in vitri fundo, vix ſemidrachmæ pondus æquabat; nilque habebat ſingulare, quo ab illo, ex Balneoli lympha reſiduo, diſtingueretur; imò hoc quodammodo alkalibus percipiebatur magis affine, illum

que

que imprimebat ſaporem, qui à ſale marino, ſulphure torrefacto, exprimi ſolet; prætereà, exacta vt induſtria omnia tentarem, deſtillatam huius balnei aquam pelui excepi, Soliq; expoſui: vt ſuaui humoris vaporatione, in lateribus, quidquid intus coagulabile foueret, inuenirem; res pro voto ſucceſſit; etenim tenuiſſimum ſal pergratum guſtui, & penetrans, vaſis lateribus adhæſit, quantitatis haud exilis.

Affluenti itaque volatilium ſalium ſulphuræorum copia, quæ hac aqua fouentur, nil mirum ſi externo tam, quam interno eius vſu, tot patrentur miracula, quę ab antiquis traduntur; ea enim omnia, fortaſſeque maiora poteſt ſua reſoluenti, abſtergenti, diſcutientique vi, ac tandem diaphoretica: quod minimè temerè, & ex coniectura aſſeruiſſem; niſi duorum annorum aſſiduo multorum vſu confirmata, vltrò experimentis, quę tradita ab antiquis ſunt, fuiſſent; etenim cum balneum hoc Vrbi proximum ſit, atque tam mari, quam terra facilis ad illud acceſſus; vltrà ſexcentorum ægrotantium numerum præſenti, præteritoque anno, eius vel omninò curati ſunt vſu, vel ſaltem ſummoperè leuati: ſcabie ſiquidem, alioue cutis contagio infecti, quinta, vel ſexta aquæ in immerſione, vbi ſe per horę medietatem detinuiſſent, mundati, ac perfectiſſimè curati, abibant; meiendi impedimento, & quouis veſicæ labore vexati, ex quauis cauſa, huius balnei vſu illicò vrinam eodem in balneo abſque vlla moleſtia reddidere, ac labores, doloreſque ceſſauere; qui verò fixa cauſa, veluti lythiaſi vexabantur

tur, vel vlcere,recidiuã perpetiebantur; quamplures eius intrà duarum librarum pondus vſi potu ſunt,ventrem his leniter turbauit, vrinam augebat nephriticis,cum expulſione ſabuli , phlegmatum, & arenarum;in dies validiorẽ ventriculũ experiebantur;caput à doloribus, emicranijs , alijſque inſolentijs paulatim liberum agnoſcebant; vltrà dupondium quò magis augebatur quantitas , eò magis ventrem ſoluebat,abſque impetu , ſine dolore, procul à torminibus , conſtantiori ſemper ventriculo cum ciborum appetentiæ incremento ; ac ab huius vſu hypocondriaci maximè leuabantur . laborent medicamentarij in purgationum medicinis,quas abſtergentes, mundificantes , refrigerantes,ac diureticas vocant :ſalis prunellæ, abſynthij , tartari,aliorumque ſimilium commixtione ; nam vnica hac lympha,naturæ præparata artificio ſine ſumptu,abſque impoſturæ periculo,ea omnia,quæ ab illis perfunctoriè ſibi promittunt, obtineri feliciter poſſunt;aliquot itaque hiſtoriarum non pigebit, hic recenſere , quæ ex vſu virtutes confirmarunt balnei ,

Stephanus Carriglius de Salcedo inter illuſtres, qui huc ex Hiſpania appulere, togatos, doctrina, magnarum rerum agendarum prudentia, morum integritate, nulli quidem ſecundus; iura Regis, & Regni poſtquam alijs in tribunalibus dixerat ; acerba adhuc in ætate, elaborati tamen conſilij,Supremo in Regni Senatu, Regiam ut regeret Cancellariam, politica , ciuilique lance regni uiciſſitudines libraret,moderareturque cum alijs , adſciuit

Io-

locum;indè ab utraque grauatus mole,ex cauſis in copioſam arenularum generationem inciderat; quapropter huius aquæ potu ad duarum librarum pondus per menſem uſus,ieiuno ſtomacho quolibet mane in omnibus feliciſſimè meliorem ſe habuit;ità ut ex Heroina Franciſca Barionuouo, & Monroy, ſuprà ſexus conditionem ingenij acumine,morumque honeſtate illuſtri Vxore, ſuſceturum ſe retardatam hactenus prolem, non deſperet, quod Deus faxit: ut Petrellę oppidum,cuius nunc eſt Dominus, ſub hac illuſtri perennè ſuperbiat proſapia.

Marchio Alfidenę ex illuſtri Gattolorum familia, atque ex proprijs animi, & corporis dotibus ſummæ inter huius Vrbis Primates exiſtimationis,hypocondriorum doloribus atrociter uexatus, huius aquę uſum in potu tentauit ad tres libras, quo fuit ſummopere leuatus; ex eo quia uenter leniter ſoluebatur, ac quamuis ab largiori uſu ſe abſtinuiſſet,ob poplitum inflationem; liber tamen à doloribus uiuit, nec amplius fuit recidiuam paſſus.

Didacus de Sylua Hiſpanus pedeſtrium militum præfectus, nephriti, & arenulis laborans, per decem dies hanc aquam ſummo cum leuamine affluenter potauit; ſuperueniente deindè diarrhęa, ab uſu ceſſauit.

Archipresbyter quidam ex oppido Balneolo, tanta calculorum copia aſſiduò uexabatur; ut per duos annos nunquam diem, in qua calculum non ejiceret,præterijſſe,recordabatur; ſepiſſimè in ure-

thra

thra cumulabatur,vrinamque retardabat;per integrum menſem quatuor librarum vſus aquæ fuit potu, ac omnino calculorum generetionem extinxit, perſeueratq; hactenus in perfecta acquiſita ualetudine.

Verſutus quidam famulus, qui è balneo aquam Domino aſportabat;cum brachiorum,& crurum doloribus,ex lue uenerea exortis,atrociter uexaretur, nemine id illi cõſulente,affatim ſe huius aquę potu,dum è uena emergebat, implere cepit,illamque ſeroſis excrementis refertam, affluenter per ſedem reddebat,ac quindecim poſt dies ex aſſiduo uſu à doloribus ſe liberum ſenſit.

BALNEVM CALATVRÆ.

PEtræ Balneo proximum illud Calaturæ eſt; nam alia ab parte rupis, lauacro ſuperemineniis Petræ,eadem in via poſt ſpatium paſſuum 25. à dextra hoc Calaturæ occurret balneum: ob confuſas ſcriptorum traditiones (de quibus infra) incõpertus erat huius balnei locus, ac apud huius ætatis homines pœnitus extincta,& balnei, & loci memoria:uerùm ego Alcadini lucernam ſequutus cum codice uetuſto,Villano,& Elyſio,Lethæis ab tenebris balneum in lucem reduxi; etenim locum horum ſcriptorum deſcriptionibus reſpondentem, ad explorandum aggreſſus; nullo quidem eius in ambitu alicuius ædificij occurrente veſtigio, ferè de re deſperaueram; cum è littore eminentem, ad viæ fulcrum erectum parietem intuitus; arenarum

agge-

aggerem, veluti e pariete in littus proruentem, conſpexi: arena itaque mare uersùs exaggerata; crypta ſeſe obtulit ſubter uiam, montem obducta verſus, illi Petræ, de qua retulimus, haud diſſimilis; erat hæc in monte minime effoſſa; ſed cemento conſtructa; longitudo pedum erat quadraginta, latitudo ſex, altitudo pedum decem; aderant circa eius medium lauacrorum vetuſtorum ſigna; balnei hunc locum, induſtriam comitante fortuna, repertum, in huiuſmodi formam reſtitui. Cryptæ oſtium pelagum versùs adapertum, muro obduxi, feneſtra, lumen tantum admittente, relicta; deinde à dextera viæ parte, vbi cryptæ longitudo terminabatur, ſcalas aperui, qua per extremum parietis latus cryptæ, circà eius medium deſcendebatur, ubi oſtiolo altero, & altero adaperto, duplicem feci in cryptam ingreſſum, pariete inter oſtiola per latitudinem erecto, eam diuidente; ità vt viris à mulieribus ſeparata eſſet in balneo, lauacris, alijſque cum commoditatibus manſio.

Indidere antiqui huic Calaturę balneo nomen vernaculum, quod decliuitatem ſignificat; cum enim Petræ balneum Olibani rupes, mare vique producta, ſuperemineat, quod poſt illicò Calaturæ eſt balneum; tam iſta ab Oriente rupes, quam, quæ, locum circundantes, ſuccedunt, in cliuum abeunt, & anguſtum, ſed planum efformant agellum, ſub quo balnei Calaturę lympha fluit, cuius, vires his complectitur Alcadinus metris.

Pulmoni ſolidam dat Calatura quietem,
Inde fugat tuſſim, quam graue rheuma parat.

Hęc

ſignans tumorem; tertium eſt viri luxatos repræſentans articulos;quartum adhuc viri hernia ſcrotum graue ſuſtentans manibus;infantis quintum ſuam paruulam oſtendens manibus herniam; ſcriptura verò preter virtutes,quæ ab alijs enumeratæ ſunt,multùm hoc balneum prodeſſe viris,ac mulieribus,hernijs,gulæq;tumoribus grauatis refert.

Noſter ciuis Ioannes Villanus, noſtrorum balneorum accuratiſſimus veridicuſque Scriptor, in ſua chronica Parthenopæa noſtrum Calaturæ balneum ſuo verò deſcribit loco, & ſubſcriptis decorat virtutibus.

Dall'altro lato della ripa eſcie vn acqua:la quale peroche,e nella deſceſa del monte:ſe chiama Calatur. Queſta onda clarifica le fazia remoue quella morfea,& alire macchie ſoze:allegra il core:fa la mente ferma: conforta lo ſtomaco: paidiſcie lo magnare paſſato:& incita lo appetito: cazia la toſſe:da ripoſa al pulmone:& prouede che quella infirmitate dicta thiſica, la quale foſſe per venire per la toſſe non venga.

Sauonarola mendosè *Celaturam* appellat hoc balneum,nonumque numerum ſeriei ipſi tribuit, cùm apud noſtros autores octauum ſit;in omnibus ideò vtere calamo,dum nos ſubijcimus verba.

Nonum Celatura dicitur. Membra pectoris. Cor lætificat,pulmonem,& tuſſim tollit,& liberat, aptos ab incurſu in eam preſeruat,ſi de ea fuerit ſæpè potata,quæ deſcenſu catharri facta eſt. Membra nutrimenti. Stomachum confortat, & digeſtiuam eius, & appetitum excitat.

Vgu-

Hæc ſtomacho vires reparat, vim præbet edendi,
Sæpius abſumptas decoquit illa dapes.
Detergit faciem, mentem corroborat, & cor
Lætificat, turpes radit ab ore notas.
Formidet quicunque phthiſim cum tuſſe paratam,
Vt timor abſcedat, ſæpius intret aquam.
Inueterata ſuis ſicut radicibus arbor
Nequaquam poterit abſque labore capi.
Non aliter veteris ſerpentia ſemina morbi
Poſſunt euelli qualibet arte ſimul.

Quæ noſter ità recognoſcit Lombardus, qui contrà Alcadinum, Elyſium, & Villanum, quos ſequitur, quibuſq; hac in re ſumma adhibenda fides eſt, neſcio quomodò in Tripergulis falso hoc locauit balneum; cum omnes hi autores, vbi inuenimus, atque deſcripſimus, ponant, atque deſignent; in verum ſuum locum itaque, & ordinem apud ipſum reſtituendum. Recognoſcit enim.

Pulmoni. adſcribuntur (ipſe Euſtaſio adſcribit) *etiam Alcadino. aliter ſic, Pulmoni præſtat ſolitam Calatura quietem.*

Nequaquam. ſic melius, Auelli è terris abſque labore nequit.

Non aliter. ſic legitur, ſic etiam veteris ſerpentia ſemina morbi, Haud facilè euelli qualibet arte queunt.

Scripto in Codice, poſt illud Petræ, depictum hoc balneum eſt, quinque ſimulacris humanis ornatum; primum eſt mulieris dexteræ digito herniam in pube demonſtrans, ſiniſtræ digito pectus; ſecundum adhuc mulieris digito quoque in gule

ſignans

Vgulinus nominis mendam adauxit; vocat enim *Collaturam*. Sunt eius verba.

Aliud eſt balneum quod Collaturæ pone (*Calaturæ*) *dicitur. hoc virtute ſua pulmoni quietem præſtat, curat tuſſim à rheumate cauſatam, & dicitur quod vſus continuus huius aquę preſeruat à phthiſi, vires ſtomachi reparat. roborat etiam appetitum, & cordis lætitiam inducit.*

Mengus Sauonarolæ exſcriptor omnia, quæ ille poſuit, & pon it; uerum aliter nomen diſtorquet, addit que quoq; mineram; alia ut ſuprà, ultimum ex anatome itaq; corriges. Ait.

Nonum balneum Colatura dicitur. Membra pectoris, cor lætificat, pulmonem à tuſſi liberat, & preſeruat à tuſſi ſi ſæpe potata fuerit, quę deſcenſu catarrhi facta eſt. Membra nutrimenti, ſtomachum confortat, & digeſtiuam eius, & appetitum. Nos dicimus, quod iſta aqua tenet de nitro, & forte etiam de ferro.

Franciottus ſuo more ocyſſimè exarat, mendoſum, rectumque colligit nomen. Fatur. *In extremitate præterea montis Calaturæ eſt balneum, quod Calatura, ſeu Colatura dicitur.* Occide vltimum,

Noſtras Elyſius his dictionibus Alcadini ſoluit metra.

Ex alio rupis latere vnda ſurgit aquæ. quę à deſcenſu montis Calatura dicitur. hæc vnda claratfaciem: morpheam, & alias turpes maculas ab ea remouet, cor lætificat, mentem roborat, ſtomachum confortat, preteritas crapulas digerit, appetitum incitat,

tuſſim

tussim fugat, dat pulmoni quietim, & prouidet nephriticis ex tussi parata procedens.

Taurienſis ſub vitiato *Colaturæ* nomine noſtræ deſcribit vndæ vires, nonumque dicit in ordine balneum, vtrumque enim corrige. Inquit.

Nonum Colatura vocatur, cor exhilerat, pulmonis affectus, & tussim à stussione tollit, eandem, si sæpe bibatur, prohibet, ventriculum, & coctionem roborat, appetentiam excitat.

Andreas Baccius in libro 4. de thermis hoc Calaturæ balneum, vti prædicta in libro 5. in Puteolano agro falsò locauit: robrica ex, *Balneum Caluturæ, & alia in Puteolanis*, tantùmque numen diſcutit, & virtutes ferè omninò ſilentio præbet.

De *Baianis* porrò, ſcribit, *ac Puteolanis, cum plus, vel minus omnia ex prædictis incendijs aliquam sẽſerint calamitatem, primum ſordidis medici videtur, ne dicam auari, qui ad priuatos tamen vſus eas conuehi iubeant: vt quotidianas ſua ſolicitent viſitationes, & non potius ſi meliora non deſint conſulant balnea, vel alia præſidia. Deindè cum in continua hæc verſentur mutatione non eſt, quod curioſas quis à nobis poſtulet hiſtorias; nam aliqua ad ſingulares aliõrum Scriptorum de balneis remittimus tractationes, & quarundam nihilominus, quæ extare accepimus, breuem ſãltem facere dignabimur mentionem. Vt de hac ipſa Calatura facto eſt opus. Nam inter viam maritimam, quæ à Pauſilippo pertinet ad Puteolanas moles, paſſim veterum ſepulchra, vel balnea ſemilacera, vel deſtituta occurrunt,*

quę diuerſi sũt generis, & plus minus ſulphuręę naturæ; quod nomen recipit hæc aqua, vel quoniam ex duris colliculi ſalebris delabitur, vt Leander Albertus atteſtatur, vel à caloris gradu. ſunt enim admodum ſulphureę, & caletes, quaſi vulgò dicta Callatura. Subditque poſt mentionem aliquorum balneorum vix vnicam generaliter virtutem. *Recipiuntur in balneis ad terpes ſuper cutim maculas mundandas, exiccantis, ac diſcuſſoriæ facultais.*

Hæc Calaturæ aqua remiſſionem, quam Petræ habet calorem, paululùmque illam ſuperat Balneoli; ex decliuitate enim loci mineralis vis affluit, atque calor remittitur.

Odor ſulphureus, ac mineralis, quamuis illo Petræ remiſſior, ex hac aqua manans naribus ſentitur.

Perſpicuitas huius aquæ media eſt inter illam Balneoli, & Petræ.

Sapor vix paulùm abacuto, ſalſoque aquæ Petræ declinat; ac denique hęc Caleturæ balnei aqua in omnibus qualitatibus illam gradi vno Balneoli ſuperat, alteroque illa eſt Petræ remiſſior; quod facto deſtillationis periculo, confirmatum adhuc fuit; cum lympha deſtillata, illi aquæ Balneoli vaporatæ ſimilima, eiuſdem ſpętiei, & quantitatis ſal in vaſis fundo reliquerit.

Cum duobus elapſo anno aſthmaticis mulieribus hoc conſuluiſſem balneum, berbellè ſeſe huius habuere ex vſu; vndè cum nobiliſſima Matrona ex Strambone familia. S. Manghi Princeps aſthmate, aſſiduaque laboraret tuſſicula, huius balnei

vſu

vſu morbum rebellem ceſſurum, exiſtimaui; opportunitatem itaquè nacta temporis, decies ad ſcapulas vſquè balnei ſe merſit in lympha, horęque in ea tranſigendo interuallum, inſolenti ab morbo liberam ſeſe ſentijt.

Opportunum demum hic, erit promiſſa ſæpè de termometro verba facere, qua deſcrittorum balneorum exactiſſimè caloris gradibus emenſis, inter ſe quantum ipſa differat, quantumque vel viuentium calor eorum ſuperat calorem, vel viuentium ab calore ipſorum ſuperetur calor, certa regula examinari poſſit; ad quod huiuſmodi excogitaui vitreum inſtrumentum, quod facto periculo, ad vſum accommodatiſſimum fuit.


C
D
A
B

Huiuſmodi conſtructo inſtrumento, igni admoueatur eius pars A. B: rarefactus vt per C, aufugiat aer, exeatque per adapertum foramen D. ac illicò inſtrumenti pars C.D. in aliqué immergatur liquorem; nam pars A. B. ab igne remota, dum ad temperiem ambientis reducitur aeris, per os B. liquorem attrahit, qui in E. communis ambientis fortè caloris punctum aſcendet: ibique vſque dum, ab A. globulo ad B. vſque, aliquid, vel calidius, vel frigidius aere tunc ambienti, admoueatur, permanebit.

Re ſic diſpoſita, globulus A. niue circumobruatur; nam illicò aeris ex concretione, ſpontè E. liquor in B. vſq; aſcendet; tunc à niue abſtrahatur, ac priſtino reſtituatur cõmuni ambienti, nã aeri iterũ rarefacto, locum cedet liquor B. iterumq; in E. deſcendet; deinde immergatur globulus A. feruenti in aqua; nam ex rareſcente aere, ab E. liquor præceps deſcendet in C. reuertetq; iterum in E. ſi exẽptus è feruenti aqua globulus A. communi reſtituatur ambienti: cognita ex his tria tibi erunt puncta B. ſummi frigoris, C. ſummi caloris, E. communis ambientis, adde nunc quartum caloris viuentium, quem, ſi ſani iuuenis manu, commnni degente in ambienti, foueas globulum A. habebis; nam liquor E. in F. tunc deſcendet. Habes nunc ſtateram, dua, tam ad communis ambientis aeris calorem reſpectum habendo, quam ad noſtrum, calorem, & frigus ponderare cuiuſcunque corporis potes; nam circà A. quouis corpore, vel frigido, vel calido admoto, incluſus aer, vel denſabitur,

vel rarefiet, ac liquor E. aeris ex metu, vel aſcendet, vel deſcendat, ac ſecundum aſcenſus, vel deſcenſus ſuprà, vel infrà, E. & F. exceſſum, communis ambientis, vel viuentis calore frigidius, vel calidius erit corpus. His ſic cognitis, thermometrum, noſtrarum vt thermarum metiremur caloris gradus, hoc aptauimus modo.

Finſimus diſtantiam inter E. ambientis, & F. caloris viuentis, trium eſſe graduum, quorum proportione ab E. ad B. ſummi frigoris, & ab F. ad C. ſummi caloris punctum, ſpatiorum diſtinximus diſtantiam, ità vt thermometri longitudo à B. ad C. decem & octo contineat graduum ſpatia. Ergò è puteo tunc hauctam Foris crypræ in aquam thermometri globulum immerſimus A. ac liquor E. duobus alijs gradibus B. verſus aſcendit. Eodē facto, dùm è vena emercebat, lymphæ Iuncariæ periculo duorum ferè graduum ſpatium, E. liquor F. versùs deſcendit. Cum hoc de Balneoli lympha experiremur quoquè, obſeruauimus liquorem, E. paulò plus vnius gradus ſpatio ſub F. deſcendiſſe. De Calaturæ verò aqua Blandeoli lymphæ affini, facto experimento, duorū graduū ſpatiū ſub F. deſcendendo, liquor compleuit; ac Petræ balnei in aquam immerſo globulo intenſiorem ob calorem quinque graduum ſpatium ſub F. deſcendit.

Notandum præterea eſt, quod aſſignata in thermometro punctum B. frigoris, & C. caloris fixa ſunt, & vbique immutabilia, certis enim pendent è cauſis, vt nix eſt, feruenſque aqua; puncta verò E. & F. communis ambientis caloris, & viuentis, pro

am-

ambientis, & viuentis diſpoſitionibus mutabilia ſunt:itaq; temperierum balneorum puncta quamuis, reſpectu habito ad B. & C. fixà quoque ſint; tamen ſecundùm hominis temperiem, qui illis vti debet, conſiderari à medico debent, ac ità ſeſe ijs in conſulendis gerere, vt balnei aquæ temperies per quatuor gradus, hominis temperiem, cui ea vtendum eſt, versùs vtrumque non excedat extremum; quò verò balnei temperies temperiei viuentis proximior,eò balneì virtutes patientis naturam ad vtilitatem promouebunt, percipiendam; quod non ita eueniet, ſi inter vtramque temperiem multorum graduum ſit eccesſus: laceſſita enim natura à nimium excedente caloris, vel frigoris qualitate,nil tunc de reliquo curat;ſed in lipothymias, ſeruores,animi defectus, tremores, rigores, ac palpitationes, ſecundùm qualitatum exceſſus, facilè pronit;ſunt valdè admonitione digni medicorum huius vrbis aliquot, qui balnei in aquã Gurgitelli inſulæ Ænariæ, antequam eius caloris diſſipetur impetus, miſeros mergere patientes inconſiderate ſuadent; illa enim aqua nouem caloris gradus viuentium ſuprà temperiem præſefert; itàut multoties præter lipothymias, aliaque horribilia ſymptomata, matronarum elixante ab ſeruore cutis in bullas,& veſicas attollatur. noſtris diebus huius Balnei Gurgitelli in inſula Ænerie apud Vulgus Neapolitanum ingens fama vagatur, cui ſe ſubſcribunt Medici Iulij Iazzolini coniecturis ſeducti,accuratus iſte vir quantum in hominum anatome coætaneos ſuos ſtudio,& odere ſuperauit:tan-

tùm in commentarijs thermarum Inarimis, quarū Scriptorum nullus ante illum meminit aquarum anatome prætermiſſa, in tradendis mineralibus in ijs contentis ſeipſum, & alios decepit; Sanè hæc Gurgitelli therma, *Subueni hominibus* Thermę in Puteolano in omnibus reſpondet, continenq; ambæ ipſiſſimum caloris gradum, ipſiſſimaq; mineralia, vt ſuo loco demoſtrabimus, illiq; hanc ſine errore ſobſtitui poſſet, commodiori vſu, tutioriq; breuiorique; quàm ad Ænariam acceſſu; verùm hoc à priuatis viris, publicis vſibus addictis, aſpernabitur conſilium, quippè in ipſa Ænariæ Inſula Oeconomi, qui Miſericordiæ domui diſtribuendis miſerabilibus largitionibus præſunt, conſtructis ad Gurgitelli balneum magnificis ædibus ad oſtētationem vſque, accurrentibus vndique infirmis prandia, cænas, obſonia, & lectulos, liberaliter largiuntur.

Huiuſmodi graduum caloris menſura alijs quoquè vſu venit blaneis proprijs in locis; nunc vt Agnani regionem perluſtremus, ad Foris criptæ iterum pagum redaundum nobis eſt, vt ad Agnanum incipiente inde via recta perducamur.

FINIS SECVNDI TOMI.

RE-

RERVM NOTABILIVM, IN HOCOPVSCVLO CONTENTARVM. INDEX.

A

AGer balneolorum, & eius descriptio. fol. 97.
Antinianum, eius descriptio, & etymon fol. 98. 99.
Auctoris de cripta Neap. annotationes, fol. 16 17. & eius difficilis tex. Strab. de ea explicatio. fol. 25.
Auctoris lepidæ cuiusdã inscriptionis explicatio, fol. 30.

B

BAlneum Foris cryptæ eius descriptio, & notanda. fol. 113.
Balneum Iuncaræ eius descriptio, & notanda. fol. 122.

Bal-

Balneum Balneoli eius descriptio, & notanda. fol. 132.
Balneum Petræ eius descriptio, & notanda, fol. 145.
Balneum Calaturæ eius descriptio, & notanda. fol. 156.
Benianim Tudulẽsis error circa cryptam Neap. fol 10.
Bernardi de Christofano viri eruditi explicatio difficilis text. Strab. de crypta Neap. fol. 24.

C

CHiaia vicus delitiosus, eius descriptio, amœnitates, & felicitates. fol. 1.2.3.
Colonio S. Strati in Pausilypo, fol. 67.
Crypta Ñeapol. fol. 6. *eius accurata descriptio, fol.* 7. *sine certo auctore, fol.* 9. *error vulgi circa eam à Petrarca reiectus, fol.* 9.10.

D

DIgna de balneis Neapol. & Montibus Leucogæis, fol. 111.
Discussio antiquarum viarum nostri tractus. fol. 101.
Discussio de villa Lucij Luculli, fol. 107.

E

ERror aliquorum Varronis interpretum, fol. 11.

F

FElluche in Pausilypo. fol. 68.
Fortunæ templum in Pausilypo, nunc nostræ Virgini dicatum, fol. 64.65
Franciſci Petrarcæ, & Lombardi error. fol. 4.

Iaco-

I

IAcobus Sänazarius, & multa de eo digna, fol. 71.

L

LA Caiola, & Eupleæ Veneris templum, fol. 76.
Limon nunc Corvoglio, fol. 78.

M

MOns spinus, & eius descriptio, fol. 99.
Murentæ in Pausilypo spinis vacuæ, fol. 67.

N

NAturæ in producendo Pausilypo industria, fol. 3.
Naturæ prodigium in Virgiliano sepulcro, & multa circa id digna, fol. 45.
Nesis eius descriptio, & multa circa eam digna, fol. 81.

P

PAlatiorum in Pausilypi limbo breuis relatio, fol. 70.75.
Pausilypum promontorium amœnissimum milliare Neap. procul, fol. 1.
Pausilypi fælicitas, & ætimon, fol. 4.
Pausilypi fabellæ, & in eo antiquitatis reliquiæ, fol. 5. 63. suic quondam Villa Vedÿ Pollionis, & posted Augusti. fol. 64.
Pausilypi elogium Stanislai Rescÿ Poloni, fol. 66.79.
Pausilypi scopuli omnium maris fructuum feraces, fol. 67.
Procerum, & Proregis in Pausilypo peræstatem otio, fol. 68.

Res

R

Res admirabilis mõtis Spini, & Olibani. fol. 133.

S

Senecæ de crypta Neap. traditio, fol. 14. *& circa eã multa digna, fol.* 15.
Sententiæ diuersæ de loco Virgiliani Sepulchri, fol. 14. *& earum examen, fol.* 42.

T

Text. difficilis Strabonis de crypta Neap. declaratus, & circa eum multorum sententiæ, fol. 21.

V

Vedij Pollionis in Pausylipo inhumanitàs, fol. 64.
Virgiliani Sepulcri descriptio, fol. 32. *& multa de eo digna, fol.* 34.
Virgilij vita, fol. 47.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE